

Johann Matthias Gesner

**Io. Matthiae Gesneri, Eloqv. Et Poes. In Acad. Georgia Avgvta Profess. Pvbl. Ord. Academ. A Biblioth. ...
Opvscvla Minora Varii Argvmenti**

Tomvs VII.

Vratislaviae: Impens. Io. Iacob. Kornii, MDCCXXXV.

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn185369777X>

Band (Druck) Freier  Zugang




XVII. XII. 116p
Pr. 117 — ~~500p~~ 520. find
Pr. Conf. 1 — 260, find
Ind. N. 108 p
62 p

Ex auctione b. Conf. Henningii
1750. comp.
A. J. G. Sepinus.

34 /
Ex auctione b. Sepini
2 R 17/16.

A. C. — 3178^{1.2.}



IO. MATTHIAE GESNERI,
ELOQV. ET. POES. IN ACAD. GEORGIA
AVGVSTA PROFESS. PVBL. ORD. ACADEM. A BIBLIOTH.
SEMINAR. PHILOLOG. ET. SCHOLAR. MAIOR.
INSPECT. SOCIET. REG. SCIENTIAR.
PRVSS. SODALIS

OPVSCVLA
MINORA
VARIi ARGVMENTI.

TOMVS VII.



VRATISLAVIAE,
IMPENSIS IO. IACOB. KORNII.
c12 1000 xxxv.

IO. MATTHIAE GESNERI
PROF. ET BOEVM ACAD. GEORGIA
AVSTA PROFESS. PUBL. ORD. ACADEM. A. M. P. M. O. T. H.
SEMINAR. PHIL. O. G. ET. H. O. L. O. G. A. M. A. G. I. O. R.
INSPECT. SOCIET. NAT. SCIENTIAR.
PRUSS. SOCIET.

OPUSCULA

MINORA

VARIIS ARGUMENTIS

TOMVS VII



FRATRES
IMBENSIS IO. IACOB. KORNI
1740



IX.

PRAEFATIONES

ET

DEDICATIONES.

I.

DEDICATIO

FABRIANI THESAVRI

AD

GVILIELMVM ERNESTVM

DVCEM SAXO - VINARIENSEM.



Cui enim potius offerrem, si quid in hoc libro meum est, quam tibi, Serenissime Princeps, Pater Patriae Indulgentissime, cui debetur, quidquid est meum; cui non rationem tantum negotiorum reddendam puto, quibus me praefecisti, quorumque nomine non tenuiter ac parce, quod plebisque ordinis mei hominibus in Germania usu ve-

R 2

nire

nire dicitur, sed satis laute et ab honore et a stipendio mihi tua prouidentia prospectum est: verum cui otii etiam mei rationem constare optauerim, quo, nec male illud etiam maximum beneficium tuum collatum esse, intelligas. Accedit et illud, quod bibliothecae tuae opibus usus sum, quoties in hoc libro difficultas aliqua obiecta est, maioribus, quam pro mea facultate librorum praesidiis superanda. Tu enim, Serenissime Princeps, si quis alius, quod a Pollione primum Romae factum memorat Plinius, *bibliothecam* (de qua alias dixi, dicamque, si Deo visum fuerit, copiosius) *dicando ingenia hominum rem publicam fecisti*. Scilicet publicum vere est, et populi tui commodis destinatum, quidquid tuum est, qui publicum et commune bonum te ipsum praestes ciuibus tuis, in hoc ipsum natum te, et in hoc rerum humanarum fastigio collocatum agnoscas, ut bene sit omnibus. Itaque nulla vel fortunae vel meritorum appellatione aequae delectari videris, quam ea, quae verissimam animi tui atque meritorum significationem habet, Patris Patriae. Deprehendimus enim in te hanc etiam optima cuiusque naturae, atque vere animi notam quasi et characterem, ut vera maxime te delectent, iisque solis capiare laudibus, quarum tibi conscius es. Irrident profecto sub adorantium personis Principes, qui vel laudant, quae vituperanda potius erant, aut profundo certe inuoluenda silentio; vel, quod impudentius etiam est, earum virtutum nomine illos extollunt, a quibus ipsi, si vel paulum in se descendere velint, se quam longissime remotos esse, deprehendere nullo negotio possint. Qui Patrem te Patriae vocant, ii et verissimam tibi laudem tribuunt, et, quae ab optimo Prin-

Principe exspectare fas est, tamen complectuntur omnia. Quis enim nostrum est maximus minimus, cuius tu non salutem ac felicitatem ita susceperis tuendam, ut amantissimus quisque pater suorum liberorum? Aut quid maius exspectatur a Principe, quam uti praestet, quantum opibus eniti, aut providere consilio potest, ciues suos felicissimos. Quibus profecto nihil accedere ad felicitatem eam potest, cuius consequendae causa in ciuitates conuentum est, si ad paternam illam, hoc est optimam in se Principis voluntatem sapientia quoque adiuncta fuerit diuinitus, quam in te esse, Serenissime Princeps, sapientissimo omnium mortalium, quin coelesti ipsi sapientiae credi par est, in quo principium sapientiae, hoc est, capitalem sapientiam, reliqua complexam et ex se producentem omnia, religionem immortalis Dei esse, signis constat exceptione maioribus: sed quibus persequendis alius et suus aliquando locus erit. Si quis tamen, ut est saeculum, Solomonem parum idoneum auctorem putet, hic vel vasro illi Florentino credet, cuius pro oraculis habere sententias quidam solent. Ita autem ille, *Sapiens Princeps habetur, qui bonarum artium gnaris, rerum peritis, et fidelibus utitur, quippe qui sciuerit tales dignoscere, fideque sibi constanti adaptare eos potuerit.* Ista enim apud Machiauellum qui legerit, (quanquam ea non tam Machiauelli, quam rationis ipsius vox est) et vel solum Marschallum Gryphum, Praefectum Praetorio tuo, nouerit, (quem uti hic non priuatae, sed publicae pietatis causa nomino, ita caeteris, quorum nomina praetereo sciens, nihil debitae meritis illorum laudis detractum cupio) nae is, quin Sapientis nomen tibi debeat, dubitare non poterit. Neque vero dubita-

re ea de re poterit, qui, cum maximis sapientiae laude viris, *neruos atque articulos sapientiae in sobria frugalitate* collocandos putauerit. Quae uti porro senectutem tuam producat, quam illi vim sapientissimus quisque tribuit, publice omnium interest, ad quos vel fructus vitae tuae, vel exemplum pertinet. Totius nimirum humani generis interest, in alta quasi columna propositum spectari exemplum Principis pii, moderati, sapientis, iusti, et ob haec ipsa decora sua longaeui ac felicitis, cuius proinde qui annos ac fortunam optauerint, imitandam sibi putabunt virtutem. Atque utinam quicumque in posterum hoc libro videntur, pulcherrimo hoc et grauissimo quasi oculiferio nominis tui, quod mansuetioribus Musis merito sacrum et venerabile est, non ad virtutis tantum tuae admirationem, et venerationem tanto bonarum literarum statore debitam, excitentur: sed, quod ipsis, quod rei cuiusque publicae faustum ac salutare fuerit, ad virtutis, hoc est, felicitatis et gloriae viam, te tam magno auctore, strenue ingrediendam, et conficiendam, feliciter. Sed de tua felicitate, Serenissime Princeps, Pater Patriae Indulgentissime, ubi liberi demum nostri, aut, si fas sit, nepotes, decidere plene possint, summis precibus ab immortali Deo contendendo, votique me mei conuinci damnarique, ex animi sententia volo. Scr. Vinariae tuae a. d. VIII

Aprilis. A. R. G. cIo Icccxxvi.



II. CARO-



II.

CAROLO FRIDERICO
 AVGVSTO,
 PROXIMO HAEREDITATIS IVRE
 MARGGRAVIO BRANDENBVRGI
 ONOLDINO DEDICATVS
 THESAVRVS FABRIANVS.

Si posteritati scribere ineptum nemo putat, non magis quam arbores ferere alteri profuturas saeculo; vel thesauros his parare, qui aut vix aut nondum adeo nati sunt: si tibi ipsi, Serenissime Princeps, Domine Indulgentissime, tum prouida magnorum parentum cura, cum ciuium Tuorum, quo quisque propius ad regnatricem domum pertinet, sedulitas summo studio ea comparant praesidia, quibus et reliqua vita tua reddi felicior, et diuinum illud instar ex tot Regum atque Principum sanguine in te derivatum, ad dignam illis virtutem excoli possit: non est profecto, quod reprehensionem verear, cum librum tibi offero, non tantum mole sua isti aetatulae tuae, cui faueat Deus! prope intractabilem; sed propter multiplicem verborum et rerum varietatem, aliquot adhuc annos reponendum ante, quam illius tibi vsus commonstrari, et quot res tibi etiam profuturas contineat, ostendi possit. Erit tum aliquis, (felix ea ipsa causa mortalis!) qui Serenissimi Patris tui imperio, non tantum Brandeburgicis te, hoc est domesticis si

R 4

vtrum-

utrumque parentem spectes, virtutum omnium exemplis instruere; sed Romanae etiam magnitudinis contemplatione, ad excelsa omnia formare ingenium illud, summa quaeuis iam nunc pollicens, studeat. Hic tibi, quantae utilitatis sit hic liber ad percipiendam Romani nominis gloriam, monstrabit; forte etiam illud adiiciet, non erubescendum aut infitandum ditionis vestrae ciuem, ac publicae liberalitatis alumnum esse, qui semel iterumque in eo elaborauerit, ut thesaurus Romanae eruditionis tum indignis multis splendido titulo fordibus careret, tum infinitis prope rebus esset ornatior instructiorque, sed hoc ut volet: illud, quidem certe non tacebit, sed laetus (suscipe, Deus, preces nostras!) commemorabit, cum primum hoc tibi opus tradet, votorum me ex parte damnatum esse, quorum hanc quasi tabulam suspendo, ut tenellam aetatem tuam, Serenissime Princeps, providentia sua ita tueatur supremum numen, ut, cum paullo post incrementum ac robur accesserit, quae nunc ex similitudine lineamentorum vultus tui, quem angelicum iure vocat pia civium nostrorum simplicitas, ad paternam dignitatem, venustatemque Reginae matris conformata, aliisque, quae cadunt in hanc aetatem, indiciis, raro fallacibus, laeti auguramur: ea maioribus subinde argumentis confirmentur, talemque te praestent, quem non Onoldinae modo, sed omnis quae ubique est iuventutis principem omnes venerentur. Quae praeter haec vouere pro pietate mea immortalibus aui tui atque auiae, tum patris etiam matrisque beneficiis prouocata, debebam, ea civium, qui nunc sunt tuorum votis committam, quibus hic subscriptorem me fautoremque adiungo.

Ha-

Habet enim sane hoc gentilitium familia vestra, Serenissime Princeps, vt nusquam magis amentur principes; credo, quod nusquam sunt ipsi amabiliores, quod nusquam homines amoris principum suorum capaciores. Quantum ex omnibus audio, non minus iam effuse tu amaris, quam in magno patruo tuo, GEORGIO FRIDERICO, quam in WILHELMO FRIDERICO, auo tuo, dum vita manebat, factum obseruauit: non minus quam in magna amita tua WILHELMINA CAROLINA, quam vidi, quoties populus ipsam de templis prodeuntem conspicaretur, tanquam simulacrum aliquod Phidiae publicis religionibus consecratum, adorari: in qua non vanos fuisse ciues qui tum erant meos, tum eorum, quos nunc ciues habeo, sententiis, tum praesertim Britannicae gentis, qua nulla forte hodie de pulchritudine vel animorum vel corporum melius arbitratur, iudiciis, deinde comprobatum est: non minus, inquam, tu amaris hodie, quam vel hi, quos dixi, vel ipse Serenissimus tuus Pater, quem quantum sui ament, tum saepe alias animaduersum est; tum illo die, quo sacramentum ipsi dixerunt Onoldini. Quot ego, perreptans congregatorum in foro cuneos, tum voces audiui admirationis ab amore profectae, amoris volebam dicere ex admiratione ipsius orti, testes! quot vidi lacrimas a gaudio quod se vix caperet expressas! Sed finem imponere cum vellem epistolae, cogitatione rei qua pulchriorem non possum cogitare, longius quam putabam prouectus sum. Deus te seruet, Serenissime Princeps, et praeter fatum fere tuae domus, *longaeui patris serum te successorem, felicissimos, maximosque ambos*, esse iubeat. Scr. Gottingae a. d. xv Ian. clō Ioccc xxxv.

III.

P R A E F A T I O.

Quid noua hac editione libri satis iam cogniti praestitum sit, quid relictum item vel nobis, vel cui-
 cunque ista prouincia obtigerit, paucis hic indicare
 visum est, quod neutram harum rerum rel iniucun-
 dam lectoribus putamus, vel inutilem. Versata igitur
 est industria nostra in his latinae linguae, et erudi-
 tionis adeo, commentariis tum augendis tum emen-
 dandis. Illud maiorem partem obiter, et nostri vsus
 gratia, a decem inde annis et amplius factum est: hoc
 tribus hisce proximis, data opera, quibus totum opus
 diligenter perlegendum nobis sumimus et recensend-
 um. Auximus autem vocabulis primo nouis non
 quidem nullis, sed paucis tamen, nimirum dignis hoc
 thesauro, quem ἐξ ἀφαιρέσεως et detractioe potius
 curare, si res ita tulisset, quam προσαναγρέψεν, et pin-
 guiorem reddere hac quidem parte, maluissemus; qua
 de re plura dicendi deinde locus erit. Auximus au-
 tem plurimis vocum, quae relatae iam erant, significa-
 tionibus, quae tanto plus interdum negotii facessunt
 iis, qui Lexici opem requirunt, quam voces plane
 omissae, quanto praestat plane ignorare verbum ali-
 quod, quam falsum illi intellectum affingere. Tum
 constructiones adiecimus non paucas: qua in re scri-
 bentium praesertim studio consultum iuimus, quos
 mirifice ita adiuuari tum ad ornatum orationis, tum
 ad varietatem, apertius est, quam vt dici hic debeat.
 Diligenter etiam data est opera, vt quae formulae sol-
 lemnis et publicae notam viderentur habere, ea non
 prae-

praetermitterentur, quo ex genere vel solus Liuius vberem nobis copiam subministravit. Et cum non verborum tantum, sed eruditionis Romanae, quin scholasticae, apparatus promittat hic liber, non alienum ab instituto putauimus, et iis, qui vtuntur hoc libro, apprime commodum, non parce huc referre ea, quae ad antiquitatis Romanae intellectum pleniorum pertinent. Itaque inter alia ex immortalis operis Ez. SPANHEMII, de vsu et praestantia numismatum, magnam vim obseruationum huc deriuauimus. Vnum genus superest additamentorum nostrorum, * de quo paullo accuratius dicendum videtur, cum, quod fieri non posse putabam, vir non indoctus, et de hoc ipso thesauro vniuersim optime, vt ipse cupiebat, bene quibusdam certe partibus, (quod diffiteri non debent, qui primum illud negant) promeritus, male a me collocatam sibi videri in iis operam, tum aliis rebus, tum vna praesertim demonstrauerit, quod, cum ipsi prouincia data esset, missas a me obseruationes ad exemplum, quo typographi vsi sunt, accommodandi, multa ex eo genere, de quo nunc dicendum est, omisit. Nimirum ita vsus sum celeberrimorum in arte critica virorum BROVCKHUISENI, BURMANNI, DRACKENBORGII ad Tibullum, Propertium, Petronium, Quinctilianum, Silium Italicum, obseruationibus, vt non tantum, si qua illorum lectiones a priorum editionum fide discrepant, indicaverim: verum etiam, quae vocabula inter se permuta-

re

* Praemissa editioni A. MDCCXXVI, quam certa causa seruari, adiectis in margine inferiori, si quae ad hanc nouam editionem monenda occurrerunt. Nam caetera etiam ad secundas curas nostras pertinent.

re ac miscere solent librarii, ex ipsorum annotationibus, suis locis demonstrauerim. Quod, si tirones parum iuuat, quin eos etiam, qui intelligere tantum bonos auctores cupiunt, aut emendate scribere, quorum quidem vel maxime rationem habendam esse, non infitior: gratissimum tamen esse debet illis, qui ita amant libros veteres, vt etiam, si in locum aliquem salebrosum aut corruptum incidant, de medicina facienda cogitent, aut iudicare certe de aliorum emendationibus cupiant*. Quae inuidia est, hos nostro labore in eo libro, quo alioquin libenter vtuntur, discere etiam mores illorum et ingenia, quorum enixa opera factum est, vt mendis et vlceribus obsideantur libri quiuis optimi; neque generatim et confuse discere tantum, sed quoties vsu venit, vt circa vocem aliquam adhaerescant, videre etiam posse, vtrum forte alias quoque eam pro alia posuerint librarii. Quamquam enim vt veritas vna, ita multiplex et varius esse error solet, tamen vel ipsae, de quibus agimus, doctissimorum virorum obseruationes satis ostendunt, eadem chorda saepe illos oberasse, et in similes subinde incidisse culpas. Itaque tantum abest, vt poeniteat me qualiscunque operae ea in re collocatae, vt potius moleste feram, me quo tempore Gronouianum Liuium legebam, non similiter hoc genus obseruationum enodasse, ac miratus sim, B. STÜBELIO videri aliter potuisse. Perquam mihi molestum est si

de

* Diligenter ob causas, quas dixi, talia adnotata sunt non modo in librorum, quos laudau, indicibus, sed in Curtio etiam Freinsheimiano, in Gruterianarum inscriptionum indice Grammatico magni Scaligeri opera contexto, etc. quae si conferantur in posterum in hunc vel similem thesaurum, insigne commodum praebunt studiosis.

de viuo homine aliquid dicendum fit, quo aegre illi queat fieri, neque modico, pro meis fortunis redemerim asperius aliquando a iuvene dicta in ALEX. HELLADIUM, quamquam is, cum dixerit quae voluit, quae nollet, audisse videatur non immerito. Sed multo etiam molestius est commemorare de defuncto aliqua, quae in eam rapi partem possunt, quasi laruarum instar luctari cum manibus velim. Itaque supersedissem plane ista mentione, nisi et mea et lectorum causa plura dicenda superessent, quae, si abstinuissem etiam nomine, tamen ad illum pertinere, quiuis facile intelligeret, et parum fuisse candidè dicta, possent videri quibusdam, si praetermissio nomine Viri in medio huius laboris cursu rebus humanis erepti, etiam occasionem benigne de illo dicendi mihi praescidissem. *Molliter ossa cubent* viri laboribus et miseris vitae feliciter perfuncti, et sub pedibus haec omnia suis miranti, cuius parum iam refert, quam placeant mihi, paedagogo nimis forte supercilioso, aut aliis etiam altioris subsellii viris, ipsius vel sententiae vel labores. Iam scopulum illum, ad quem ne adhaeresceret pudor meus metuebam, feliciter, vti spero, praeteruectus, libere quae supersunt exequar, Quibus rebus auctior esset mea qualicumque opera hic thesaurus, demonstratum est. Spero autem non infeliciorum, magis certe necessariam operam positam esse in emendando. Incredibile est, quam graues in Germanicam vel singularum vocum, vel phrasium aut exemplorum versionem, irreperint hallucinationes. Nihil de antiquatis et obsoletis dico, aliisque quae cultior Germaniae pars respuit, in quibus non licuit seuera nimis animaduersione vti, cum non vni Germaniae
genti,

genti, sed Germaniae toti destinatus labor ille videatur. Neque illud imputabo, quod participiorum, praesentis temporis, diminutiutorum item interpretatio plane omissa est, cum illorum formatio pro dialectorum licet varietate diuersa, nihil difficultatis habeat vel apud pueros, haec autem plane eodem modo, adiuncta nimirum ad infinitiuum litera *d*, exeant *. Sed de illis loquor, vbi plane contra veritatem peccatum est. Cuius rei ea fere causa fuit, quod, qui Germanicam interpretationem apposuit, non ille rationem habuit, quid auctor sibi voluerit, quo ea loco protulit, sed

* Si meo hic iudicio agere vel libuisset vel licuisset, eandem fere rationem tenuissem in verbalibus nominibus iis praesertim, quae in *IO*, itemque in his, quae in *OR* exeunt: quae enim in nostra consuetudine et vsu sunt nomina verbalia his respondentia, ea in *ung* et *er* fere desinunt, et facillimo negotio a tirone quouis formantur, qui verbi notionem perceptam habeat. Sed ea nimirum est difficultas, quod magna vis est Latinorum verbalium, quibus Germanica ex eo genere non respondent. Hic audacter conficta vulgo videas et posita in Lexicis Latino-Germanicis nomina, moneta ea quam diximus percussa, h. e. casibus *ung* vel *er* producta. Nobis religiosius agere visum est. Itaque, quoties animum aduertimus, maluimus plane nullam ponere talium nominum interpretationem Germanicam, quam vel inaudita inter emendate loquentes nomina adscribere, vel longo verborum circuitu lectores impedire. Ne totum genus hoc sine versione relinqueremus, eorum intercessit utilitas, quorum interest, etiam imperitissimos non habere, quod requirant, aut omissum specie quadam conquerantur. Ita methodi, nescio quam bona, et vniformitatis cuiusdam causa nominatiui in *VS* positi sunt eorum etiam nominum, quae *μονάρτωρα* vocant Grammatici, quaeque interdum commodius in supinorum in *V* censu relinquerentur. Ita saepiuscule praesentia verborum in *SCO* laudata, quorum sola praeterita, a primitiuis ducta, auctoritatem adscriptam habent. Sunt plura etiam in etymis et familiis vocum constituendis, quae non probamus quidem, sed mutare difficile erat, et in morum genere *ἀδύνατον*. Taceo laboris molestiam, obrepentem longo in opere somnum, reliqua.

sed quid sola per se, decerpta a corpore orationis, unde sumta sunt, significare forte possint. Haec tanto minus animaduertuntur, quo pauciorum rationes ferunt, vt quoties formula quadam vti velint, ad ipsum eius auctorem recurrant. Paucissimis autem ea est cum veteribus libris familiaritas, vt statim quibusdam tantum verbis propositis, qua de re sermo fit, quid praecesserit, quid sequatur, intelligant. His igitur suppetias vti ferrem, neque in quibus a memoria vel vsu bonorum auctorum ego adiuuabar, inuidi, neque vbi suspicio tantum peccati subesse videbatur, tempori meo, et quaerendi molestiae peperci. Eadem opera magnam vim eorum sustuli, quae adhuc in locis auctorum laudandis peccata fuerant librariorum culpa, vel festinatione doctorum. Denique cum plurimae in librum vtilissimum mendae ea ratione irrepererint, quod a multis tractatus ac interpolatus, a nemine autem, totus qua singula verba perlectus est, unde multa vel bis, vel non suo loco posita, multa luxata, distracta, peruersa sunt: his vt pro viribus mederer, sedulo equidem enixus sum, neque frustra me fuisse confido*. Quae cum ita sint, illud confirmare adeo, Thesaurum Fabrianum nostra etiam qualicumque opera longe nunc prodire, quam vnquam fuit, auctiorem atque emendatiorem, et reliquis in hoc genere libris, qui quidem nobis innotuerint, ita praestare, vt, quem cum illo comparemus, habeamus nullum. Caeterum hoc in loco mentio illorum facienda est hono-

* Inspiciat, qui volet, et conferat cum superiore nostra editione vocabula *Dystrapelus*, *Flagito* cum familia sua, *Iuro*, *Linea*, *Lustrum*, *Pherium*, *Prinipilus* etc. et videbit etiam ad hanc repetitionem quasi praelectionem pertinere, quae de superiori diximus.

honorifica, quorum industria inuentis vti nonnunquam sumus, quamquam non ita saepe illud factum esse fatemur, quam per ipsorum quidem in hoc opus, et me ipsum adeo, prolixam voluntatem licuisset. IAC. FACCIOLATVM primum suo merito nomine, Patauii sui, quin Italiae et literarum ipsarum singulare ornamentum, cuius obseruationes quasdam tanto securius omisi, quod illis in notis atque indice ad veteres rei rusticae scriptores locum suum destinavi, de quibus optime mereri Viro Clarissimo non vno modo placuit, quod quidem minime a me tacebitur*. Deinde multa misit GE. NIC. KOEHLER, Praeceptor

* Est tamen satis multis in locis haec etiam editio Viri Cl. opera emendatior accuratiorque. In vnoquoque verbo laudari vel ipsum, de quo loquimur, virum doctissimum, vel alios, de quibus iam dicemus, in tali opere nimis longum est, et ab instituta ratione alienum, multis denique erroribus in posterum committendis opportunum. Itaque nunquam aut Buchnerus, aut Cellarius, aut nos adeo, notauimus, quid nostrae vniuscuiusque obseruationi debeat, nisi quod ad librum alium a nobis editum interdum lectorem ablegauimus. Ne in Graecianis quidem obseruationibus illud custoditum est diutius, ut illae ab aliorum labore discernerentur, quam dum eo quasi oculiferio aut hedera suspensa in noua editione opus esse videretur: et poterant illa magni viri obseruata satis commode a reliquo corpore separari. Ad Cl. FACCIOLATVM redimus. Communicauerat ille cum THO. FRITSCHIO, viro cuius memoria quoque, postquam ipse importuno admodum nobis tempore de medio excessit, nobis carissima est, et commendata suo merito esse debet quicumque serio literas amat, quarum ille non minus quam ingeniorum cautus arbiter erat, et fautor maximus: huic igitur viro miserat FACCIOLATVS obseruationes quasdam ad A et B literas pertinentes, quas suo quamque loco breuissime non laudato auctore insertas tanto aequius ferent lectores (nam ipse V. C. alia habet decora longe maiora, quo facile illa laureola careat) quod quae qualesque sint, cognoscere possunt, qui volent ex ipsius Animaduersionibus Criticis in pri-

ptor meus, cui harum literarum amorem debeo, qui postquam ab Onoldino Ser. Brandenburgi Marchionum Gymnasio ad Ecclesiam et dioecesim Suobacensem gubernandam abiit, dedecori tamen non putauit sibi, obseruata olim a se enotare et ad me mittere. Verum ne his quidem uti pro eo, ac optabam, potui. Cum enim ab aliis negotiis, quae procedente hoc ipso labore insigniter aucta sunt, tantum decerpere temporis vix ac ne vix quidem potuerim, quo eam, quam ante commemorauit operam Lexico impenderem, metuendumque subinde fuerit, ne mora, per me aliqua

fer-

primam literam Lexici Danctiani, (Patauii 1731, 8.) quem laborem continuari ad hanc partem doctrinae liberalis vehementer interest. Plura dicimus de viri humanissimi in has literas meritis in praefatione ad scriptores rei rusticae. Hic subtexemus quaedam casu hic non commemorando praetermissa, quibus tamen carere lectores nostros nolim, quod ne fiat metus est, cum rariora libelli modo laudati exempla ad nos perueniant. Igitur ¶ *Peracuo* laudatur in Lexico ex Cato. R. R. 40. cum tamen ipsi ex optimis libris iam edamus *praeacuito*, quod in quibusdam aliis est *peracuito*. Quod in Reyheriano theatro Iunckeri cura aucto adfertur ex Plauti Aul. 3, 4, 9. *Ita mihi pectus peracuit*, est a *peracesco*. ¶ *Irrasus* ex Ca. 157. recte quidem et ex mente ipsius quoque V. C. interpretati sumus, tanquam participium verbi *irrado*, ut *infractus*, *infucatus* e. i. g. a. Sed ipse docet, nec aliter interpretandos esse Plauti, Siliique locos, in quibus pro adiectiuo cum negandi particula reliquimus. Nam in illo Rud. 5, 2, 16 *leno irrasus* est *rasus* propter naufragium, de qua re notum vel ex Iuuen. 12, 81. *Irrasus robora clauae* apud Silium 5, 585 possunt etiam esse leuigata derasis ramis atque nodis. ¶ *Aular* ex Varr. R. R. 3, 14 non debet pro certo poni, est enim lectio admodum dubia, ut ad eum locum monemus. ¶ *Columbaris* adiectiuum male probatur ex Colum. 8, 8. vera enim lectio, certe nobis ipsis probata, haec est, *quoniam fere eae partes columbarii carent stercore*. Quaedam editiones *columbari* contracte.

feruentibus prelis iniiceretur: hinc factum est, vt si quid quaerere pro temporis illius ratione longum foret, (nolebam enim in Lexicon referre quidquam, quod non ipse in auctore, qui laudaretur, vidissem) illud ad otium aliquod reiicerem, locum ei assignaturus in mantissa, quam necessario meditabar, cum interdum mitterentur quaedam, quorum literae iam praeterierant. Sed secus accidit, atque putaueram, quo propius enim finem peruenit hic labor, tanto mihi impedimenta plura obiecta sunt, quo minus perficere quod destinaram possem*. Eadem causa fuit, quod ne nunc quidem Falsterianae** obseruationes omnes, quod tamen optimo iure merentur, in thesaurum nostrum relatae sunt. Egeram equidem et mea sponte et ab ipso viro clarissimo per Cl. HEVMA N-

NVM

* Excussa iam sunt omnia, et in locum quodque suum relata. Caeterum carissimo nomini adiungere licet aliud, necessitudine alia mihi copulatum, ANDREAM SAMVELEM GESNERVM fratrem meum natu maiorem, Rectorem Rotenburchensis ad Tubarim scholae, de illa et de me optime merentem: cui irascerer si fas esset irasci carissimo capiti, quod obstinate prope a condendo insigniori aliquo ingenii sui atque nominis monumento abstinet, qui vitam et spiritum dare mortuis, et victuras si quis alius chartas posteris tradere pro admirabili quae valet in dicendo suauitate posset. Sed neque laudare mihi virum per ipsius modestiam, meumque pudorem licet. Hic igitur meus germanus communicauit et ipse mecum obseruationes plufculas vsui lectoribus futuras.

** Harum nunc nihil abesse puto, quod quidem ad rem nostram pertineat, neque muto verba aut sententiam de viro Cl. propter quaedam paullo inclementius in Gesnerum dicta in amoenissimis alioquin sermonibus: quae excutere minime difficile fuerit, et vel deprecari culpam alienam, vel recte dicta defendere. Sed velim humanitate potius et officio certare cum viro optime de literis nostris, et hoc adeo opere merito.

NVM * communem amicum admonitus, cum Fritschio, uti diligenter omnia ex supplemento Falsteriano et epistolicis animaduersionibus, suo quodque loco infererentur. Video etiam obsecutum esse B. STÜBELIVM, quamdiu vita manebat, bona ex parte illius admonitioni. Sed idem obseruavi, plucula tamen superesse, quae iure suo locum sibi in hoc thesauro vindicant, eaque in mantissam conicere coepi. Verum uti dixi, auctae mihi interim occupationes, et iusta Fritschii festinatio, hoc etiam consilium meum interceperunt. Hoc certe credi mihi tum ab aliis, tum ab ipso Clarissimo FALSTERO peto ac postulo, non candorem mihi hac in re defuisse, sed otium euoluendi singula, et in suum quodque locum referendi. Interim utrique viro optimo, multa, plura quidem FALSTERO deberi non sine voluptate profiteor, daboque operam sedulo, ut, si quando me salvo denuo edendus sit hic liber, nihil eorum, quae ipsi monuere, praetermittatur. Nimirum, non haec sola

S 2

sunt,

* Ad hoc nomen, quo nullum alias mihi suauius aut iucundius, pene cohorruui, cum in hac praefatione retractanda atque interponenda ad illud peruenirem. Dederat ille hoc amicitiae nostrae, ut in Poecile sua (3, 1, 2) non de *amicae* modo honesta appellatione apud me disputaret; sed etiam alias quasdam vel emendationes vel supplementa Lexici huius cum omnibus communicaret. Haec ego primo securius seponere, per otium scilicet referenda in suos quasi loculos, deinde putare iam relata, et ob id ipsum negligere. Iam cum vasa quasi colligo, ut sit, et per ipsam praefandi occasionem fautores operis huius retracto, cum indignatione quadam et pudore meo deprehendo, quod commissum nolim. At bene est, quod qui amant has literas, iidem fere HEVMANNVM ferunt in oculis, et libellos ipsius in sinu gestant. His itaque facilis erit labor inde petere praeclaras aliquot obseruationes. Quocumque autem tempore recudetur hic liber, vel haec ipsa peccati nostri confessio intersedet, quo minus peccari denio possit.

sunt, quae accedere possunt huic thesauro, licet omnibus sui generis longissime, et extra comparationem fere praefereudo; de quibus pauca subiiciemus, ut videant lectores, nos non ita nobis suffenos esse, ut nihil iam relictum putemus aut nostrae, quae non remittet dum rationes nostrae ferent, industriae aut aliorum. Primo igitur illud certum est, quoties noua aliqua proditur boni alicuius auctoris a BVRMANNO aliquo, aut DRAKENBORCHIO, aut, si quid sunt horum similes, editio, multa ibi proferri, vnde locupletari optimum etiam Lexicon possit. Prodiit, certe in manus meas primum venit, cum maior pars Thesauri nostri iam prelo liberata esset, Valerius Flaccus a BVRMANNO exornatus. Quot ibi obseruationes, quae a proxima, si qua futura erit, editione Fabri abesse sine flagitio non poterunt? De Ouidio eiusdem viri, in his literis hodie Principis, quid dicam? quem, licet nondum mihi visum, certus sum tamen, millenas aliquot habiturum adnotationes, dignissimas omnes, quarum hic habeatur ratio*. Sed quam multa sunt in libris olim editis, quae diligentissimorum virorum adhuc fugere industriam, in HARDVINI, ut hoc vtar, Plinio, in ipsis Rusticae rei, quos tractare ab aliquo tempore diligentius coepi, scriptoribus? Geographica quanto emendatiora possent dari ex ipso, quem laudauimus

* Haecenus legi, si cui ita dicere lubeat, nostrae sic satis obtemperauimus, quantum scilicet eius per migrationes aliquot, morbos item, et rationes alias, fieri potuit, debuit. Praeter caetera diligenter huc retulimus, quae cum poetis minoribus, a PE. BVRMANNO, quem semper honoris et admirationis causa appello, editis publicata sunt: et quae ad Sallustium dederat CORTIVS, fato literis acerbo ante quam perficere plura optime cogitata atque affecta posset, ereptus.

vimus modo, Plinio HARDVINI, CELLARIO, HOLSTENIO, VOSSIO ad Melam, aliis? Quam multa de gentibus Romanis ex GLANDORPIO, numismatum scriptoribus, et collectoribus inscriptionum? De Graecis Latinisque auctoribus ex FABRICIO? De mythologia ex optimis editionibus poetarum? De herbarum, stirpium animalium descriptionibus et vernaculis appellationibus, quid dicam? Quam multa a cuiusque generis scriptoribus recens inuenta discussaque multo diligentius? Ad antiquitatis notitiam quantum in hoc locupleti thesauro desit, vel PITISCI labor docuerit. Et quis non quaerat in scholasticae eruditionis penu notas, quarum quam paucae adhuc relatae huc sint, comparatio SERTORII VRSATI facile ostendit. Graecae rerum appellationes et significationes verborum quam nondum plene annotatae sint, qui MORELLIANVM dictionarium contenderit, deprehendet. Barbara multa, aut noua certe, non locorum et vrbium, sed rerum etiam et actionum vocabula vsus inuexit, quorum sat multis in ipso Lexico locum non optimo consilio assignatum, equidem arbitrator. Horum maxima farrago ex Dufresnio et glossariis, Geographicisque dictionariis congesta, breuissimeque interpretata, in vnum locum reici potest, ad modum fere onomastici a Io. Laurentio editi *. Denique Germanicus Index, quem ne totum quidem attente perlegere nobis licuit, auctiorem tamen multis locis et emendatiorem damus, quam antea fuerat, vel sic longissime, fateor, abest ab idea boni Lexici. Sed

S 3

quis

* Quale etiam optimo consilio adiecit Calepino a se retractato
FACCIOLATVS V.C.

quis dedit meliorem? * Scilicet vt nemo, quod quidem sciamus, Lexicon Latinum dedit nostro praestantius **. Fugiunt laborem plerique, in difficultate haud mediocri contemptum vulgo ***, et inglorium.

Coie-

- * Spero hoc factum esse ab HEDERICIO, cuius multi praecleari et utiles scholis libri extant: Sed Lexicon illud Germanico-Latinum excutere, aut vel ex illo, vel vndeunque aliquid ad Fabrianum indicem ornandum conferre, rationes nostrae non tulerunt.
- ** Ne hoc temere dictum videatur, liceat (praeter alia aliorum iudicia, quae passim prostant, nobis etiam honorifica, et ob id ipsum modesto hic silentio premenda) ad eorum prouocare conscientiam, qui illustrem cum viueret virum, et harum rerum idoneum sane indicem NIC. HIERON. GVNDLINGIVM, in recitationibus, quibus de historia literaria ad conspectum Heumannianum commentatus est, dicentem audiuerit, tali Lexico, quale post nuperas curas nostras Fabrianum sit, nullam gloriari nationem posse. Quae vero in eadem Academia non ita pridem in fronte magni operis scripta sunt, ea non mirabitur, qui cogitet, illi viro ne visam quidem proxime superiorem Fabriani thesauri editionem, tum illius Horatiani meminerit, *Laudat venales qui vult extrudere merces*: ac denique illud in vita sollemne, sed non ideo nimis laudabile obseruauerit, quod qui extollere sua volunt, fere aliena deprimunt. Caeterum quanti sit inter externos etiam, (quorum multi tanto malignius de nostris iudicant, quo effusiores nos sumus in illorum vel praedicatione vel imitatione adeo) hoc opus, quid ni ad Facciolati iudicium prouocem? iudicis tanto magis idonei, quod est in eodem laboris genere cum laude versatus. Is vero in praefatione Calepino praemissa, *Praeclare, inquit, nobiscum actum, quod Basilii Fabri thesauro non caruimus, quo vno nihil est in hac studiorum parte perfectius. Hinc infinita prope deduximus &c.* Quid? quod exteris flagitantibus id ipsum, satisfieri non potuit, nisi adiecta Gallica verborum et formularum, quae opus id habere videbantur, interpretatione: quam bonam esse spero; laudi, quia nihil in ea meum, mihi esse non postulo, sed neque, si quid peccatum forte sit, inuidiae.
- *** De illo contemptu, quam iniustus sit, cum egerim superiore anno in praefatione Reyheriani theatri, et BURMANNIANI nominis, (magni suo merito et nobis quoque cari) qua premur

Coierunt in Gallia regio iussu et sumtibus regis viri, qui flos suae aetatis et gentis hominum putantur, non illi umbratici de schola homines, sed maior pars ipso rerum actu exercitati, aut aliis certe artibus nobiles. Hi magnis excitati stipendiis, abundantes otio, collatis inter se operis, post multorum annorum studia Lexicon nobis dedere modico volumine comprehensum, aut, si computare alterum illud lubeat, duobus; in quo multa deesse, multa perperam posita, singuli homines dicere ausi sunt, et multis iure suo hoc fecisse videntur. Triuultina societas, innutriti literis et summo in otio viuentes homines complures, quorum is vnus labor erat, Lexicon dederunt multo amplius. Sed ne sic quidem omnia esse exhausta videntur viris minime gloriae illorum inuidis. Quis deinde miretur Lexicon linguae Latinae per libros non sane nimium multos dispersae, sed eos difficultatibus magnis obsitos, ab singulis hominibus, qui quo plus ingenii adferre possent ad laborem eum, tanto sunt vel impatientiores, vel aliis in rebus occupatiores; quibus exigua lucri spes, gloria etiam minor proposita est, nondum potuisse ita expoliri, vt non relictus sit emendationi locus? * Equidem vt suam laudem nemini invideo, ita gloriam mihi tantum abest, vt ex labore, quem non sane mediocrem sustinui, petam, vt veniam

S 4

potius

mur inuidiam deprecati sumus; tractatione argumenti, quod parum iucunditatis habet, tanto hic facilius superfedeo.

* Quid spei, aut rei adeo, fit in RR. Patrum S. I. Romanorum labore, qui a quinquaginta inde annis consociata industria in Latino Lexico condendo elaborasse dicuntur (v. *Gelehrte Zeitungen* 1:26 Vorrede) aut in illo instituto, quod laudatus nobis aliquoties Facciolatus commemorat, (in praefat. *Animaduersionum Criticarum*) dies docebit.

potius et praetermissorum exposcam et commissorum, in quibus autem ea computari nolim, si qua per meam a typographis absentiam secus administrata sunt, aut mutata a B. STÜBELIO *. Illud praesertim optauerim, ut si quis inclementer iudicare de nobis voluerit, ille centum ante paginas integras huius editionis cum proxime superiori contendat, quam iudicium expromat suum, et si vel sic maledicere ipsi libuerit, ut ubi, et quibus in rebus peccatum sit, indicet. Neque enim detrectamus, quo minus vel cum iniuria aliqua nostra, liber non iuuenibus tantum cupidis literarum utilissimus, quibus praecipue aetatem dicauimus nostram, sed viris etiam commodus, magis magisque emendetur. Vnum superest, quod hic monuisse mea refert. Citavi bis aut ter scriptam a me Chrestomathiam Plinianam **, et erubui quoties nomen meum scripsi: sed ea causa non abstinui nomine meo, ne post aliquot annos, si quis forte viderit ea, quae in Chrestomathia pro nouis a me adferuntur, in Fabro legi, (ad quem a
me

* Quae neque his curis secundis reuocari potuerunt omnia, cum chartae, quibus commissae fuerant observationes superiores, inter B. viri et typographorum manus fere perierint.

** Itemque nunc quae ad rusticae rei scriptores commentati sumus, e quibus plura huc retulissimus, nisi pudor nescio quam tempestiuus nos prohibuisset, vel bis venditare eodem tempore lectoribus qualemcunque diligentiam nostram; vel committere, ut omnia nominis nostri mentione tanto facilius esset humilis cuiusdam et ieiuni plagii suspicio. Forte exorietur aliquando, qui quam nos operam praestitimus ingenuae laudis Gronouii, Bronkhuisii, Burmanni, Cortii, eam ipse nobis, si qua non male rem gessisse animaduernerit, non inuideat. Neque vero difficile erit aliis etiam, qui haec studia amant, vel indice nostro aut Lexico rei rusticae comparato, tenui indicio signare, quoties ibi aliquid hic indictum inuenerint, quae quidem diligentia minime spero, illos frustrabitur. Sed ohe! iam satis est.

me adscripta fuerant ante quam putarem fore, ut illius recudendi cura mihi aliquando demandaretur) ad plagii mihi crimen impingendum nimis festinet. Sed iatis de me dixi, et plus forte quam satis erat. Bene valete lectores, et studium vos iuuandi tum Fritschii, tum nostrum, aequè bonique consulite. Retractaui hanc praefationem in Academia Gottingensi Kal. Novembr. cIo Idcc xxxiiii.

IV.

AD THESAURVM LINGVAE
LAT. REYHERO - IVNCKERIANVM
PRAEFATIO.

Quum Reyheriani Lexici exempla dominum nuper mutauerint, et cum iure ipsius libri recudendi ad virum efficacem si quis alius, et strenue augentem librariam rem magnis etiam et voluminosis operibus, peruenerint; faciendum ille putauit, ut et innotesceret hominibus, apud se fieri nunc posse volentibus libri, a multis merito suo laudati, et vtiliter a pluribus vsurpati, copiam; et eadem fundamenta quaedam illius in posterum emendandi iacerentur. Qua in re cum mea qualiscunque opera expeteretur, illud ipsum quod dubitationem aliquam initio adferebat, quod nimirum non eiusdem hominis videretur, versari in Fabriano Lexico perpoliendo, et alterum, quod illius vulgo aemulum putaretur, praefatione or-

nare: illud ipsum ergo persuasit, vt breuem hanc operam volens praestarem, ne videlicet suspicaretur aliquis intemperato suscepti a me operis amore, et inuidia quadam alienae in simili genere laudis (si qua modo laus in humili labore expectari potest) me noluisse tralaticium honorem libro minime contemnendo habere. Et commodum recordabar, CHRISTOPHORO CELLARIO, cuius viri quibusdam rebus similem me esse cuperem, idem vsu venisse, vt cum maxime in Fabro ornando occupatus, praefationem etiam Reyherorum laboribus scribere iuberetur.

Ac sane opus habere videntur Lexica prologis hodie, modo aliquid iis efficiatur, quod passim contemnitur labor publice vtilissimus, vt, qui in eo versantur, praeter molestias, quas ipse habet, quae credi omnino non possunt, nisi quis ipse manum admouerit, audiant non ab imperitis modo hominibus, (qui videri volunt se carere posse iis instrumentis, quae petulanter traducunt) sed etiam a doctis viris, et merito suo claris, vel Gibeonitae ad seruiles operas et materiam comportandam nati damnatique, vel lixae et calones, muliones item gerulique reipublicae literariae, aut si quid vilius istis.

Hocne merentur viri boni, qui sexcentas molestias deuorant, dum perficiant labore suo, vt caeteri facile quod volunt inuenire possint? hoc igitur merentur Lexicographi, vt totus illorum labor contemtim habeatur, vt si quid peccatum sit, sustes poscantur et flagella: taceatur autem de eo, quod utili et comoda illorum opera quotidie licet vti, quod infinitorum

rum

rum verborum et formularum thesauri per illos ita collecti et dispositi sunt, vt nullo fere inde labore promiqueant?

At saepe errant, inscitiam saepe produnt, non repugno. Quin nescio an plura nemo earum rerum documenta obseruauerit, quam mihi necessario occurrerunt. Verum enim vero an ideo totum illud Lexica scribere, augere, interpolare, non nisi lixarum est, calorum, mulionum, gerulorum? Non puto equidem hoc ipsum velle P. E. BVRMANNVM, quem honoris causa nomino, cuius sunt quaedam inelentius in totum, vt putare aliquis possit, genus dicta, quae tamen ad omnes pertinere velle virum doctissimum, minime arbitror. Quid enim? nonne bona pars, ne dicam maior notarum ipsius inest in collectione locorum, vbi vel verbum idem, vel constructio, vel figura orationis eadem occurrit? Quam multum autem interest, vtrum ad vetusti vnus scriptoris, aut plurium, loca similia adscribantur illae obseruationes, an vno in libro elementari serie disponantur? Ad colligendi quidem laborem non multum ista discrepare; hoc autem ad vsum multo esse promptius, facile intelligitur: nisi forte nobilioris operae est ad Ouidii aliquem locum adscribere, vbi Heinsius, Broukhufiusque verbum aliquod, formulam, schema orationis, confirmauerint, illustrauerint; quam in Lexico talia adnotare, vnde in vsum deinde communem depromi facile ab omnibus possint.

At indignum est, mulionibus istis et gerulis aliorum thesauros compilari, et in horrea illa conduci, quae doctissimorum virorum studiis parta sunt. Cur vero publicarunt sua viri doctissimi, nisi vt inuentis illo-

illorum fruere qui vellent? aut quae inuidia est, elaborare vnum pro reliquis, et quod singuli facere, cogantur alioqui, solum non sine molestia facere, et otia parare caeteris? At ignauorum istud et instrumentum et vnica fere suppellex? Respondet ipse vir doctissimus: *Sed doctorum etiam, si quid vel exciderat memoria, vel non animaduersum elapsum erat, subsidia, Lexica, Thesauri, Indices et sub diuersis titulis omnis generis collectanea.* Et statim addit: *Quid in hac quaeso instrumenti literarii lautitia et copia legenti veteres difficile vel inexplicabile obuenire hodie potest?* Plura in hanc sententiam sunt in aurea, vt ego iudico, praefatione in Phaedrum anno Saeculi xxvii. editum, quam cum illa altera in Iustinum minima forma vulgatum, non legi modo sed edisci velim ab his, qui serio tractare libros antiquos volunt. Sed illud obiter.

Apparet sane, iniuriam fieri viro Clarissimo, si quis ab illo damnari dicat omnes omnium labores id genus thesauris impensos. Quod qui faciat, ille sane aut imperitiam prodat, quae in talem virum non cadit, aut summam impudentiam qui contemnat libros, quibus vel ipse indigeat quotidie, vel strenue vtatur.

Quod est de crebris peccatis, quibus hoc etiam genus laborat, accusemus fortunam literarum per Germaniam, qua fit, vt qui labori tam improbo cum dignitate etiam quadam exhauriendo (si tamen cadit vlla in hunc laborem dignitas) pares esse poterant, ii fere aliis negotiis ita obruantur, vt non quantum velent, sed quantum per alia possunt, operae conferant: vnde illud oritur incommodi, vt eatur interdum ad mercenarios homines, quibus ad numerum versuum

et

et paginarum persoluantur merces, qui proinde hoc agunt, vt raptim corradant vndique, quidquid putant augendo operi esse, parum interim ad summam rerum attenti, quod ne possunt quidem, ipsi tum ab internis praesidiis destituti, tum ab his quae extra suppeditare debent illi, qui bene defungi isto labore velit.

Sed quid est? Abiiciamusne ea caussa libros, quibus aegre carent literae? an ideo, quod multa vel otiosa admixta sunt, vel etiam vitiosa, ne vtamur quidem caeteris? An quod omissa multa spem quaerentis interdum frustrantur, quod quo minus fiat, ne doctissimus quidem et diligentissimus Lexici scriptor facile cauerit, ideo damnemus etiam quae bene dicta sunt? Puerorum quidem paruorum illud vitium in quibusdam etiam prouectae aetatis notauit ille apud PLVTARCHVM Aristippus. *

Quod si vero sic agere cum summorum virorum in antiquos scriptores commentariis atque obseruationibus libeat, vt nulla sit bene dictorum gratia, requirantur omissa; quis erit, qui maxima reprehensione careat? Quin si damnare propter quasdam aberrationes placeat libros vtiles, vereor ego, vt praestantissimi viri, quem praeclare meritum de humanioribus literis nemo potest nisi inuidus negare, nuperum opus reprehensionem illam effugiat, vbi, vt hoc vtar, de Leucade petra, de qua desiliebant inuenusti amatores, laudatur ΡΗΟΤΙΥS Canone cxc, quod excidere

* PLVTARCHVS de animi tranquillit. p. 469. Μανικόν ἐστι τοῖς ἀπολλυμένοις (ὕστερήμασιν) ἀνιάδα, μὴ χαίρειν δὲ τοῖς σωζομένοις (καταρδύμασιν) ἀλλ' ὡσπερ τὰ μικρὰ παιδάκια ἀπὸ πολλῶν παιγνίων ἂν ἐν τις ἀφέληται τι, καὶ τὰ λοιπὰ πάντα προσρίψαντα κλαίει καὶ βοᾷ, τὸν αὐτὸν τρόπον ἡμῶς περὶ ἐν ὀχληθέντας ὑπὸ τῆς τύχης, τὰλλα πάντα ποιεῖν ἀνόητα ἑαυτοῖς, ὀδυρομένοις καὶ δυσφοροῦντας.

dere non potuit illi, qui librum quem laudare vellet, in manus sumeret: vt nimirum neque de eadem re Scaligerum aduocasset, tanquam alia docentem ad Aufonium, is, qui dignaretur illa quae ex MS. profert Scaliger, cum edita deinde Photii bibliotheca (huius enim Codicem cxc p. 253. Hoeschel laudare debebat) conferre.

Verum hoc non agimus, vt aliorum errores accusemus, iis ignosci petimus, qui bene multi etiam hunc librum obsederunt haud dubie. Potius eos paulatim emendari petimus. Non magni laboris fuerit, si quae quisque vir doctus deprehenderit, ea adnotare in schedula vna pluribusue dignetur, ac tum efficiat, vt, vel publice legi possint obseruationes illae, cuius rei hodie vix cuiquam deest occasio, vel cum iis certe communicentur, qui sumtus libris ipsis imprimendis suppeditant. Multum debet Falsterianis obseruationibus Fabrianus thesaurus; Danetius paullo post debet Facciolato V.C. Pergite Pierides, et pro maledictis nemini quidquam profuturis, vel cum maledictis, si ita videtur, modo ne sola sint, docete, vbi peccatum sit? quomodo emendandum? Concurrите quaeſo, et quae in hoc, quae in altero Germanorum thesauro vitiosa sunt, ea praesertim quae ὑπερλα, neque intelligi ab vnoquoque facile possunt, emendate comiter: addite aurum auro, tollite scorias, concinnate nobis, aut his, qui post nos viuent, thesauros praestantissimos.

Nolite metuere, pigritiam hominum vanitatemque adiutum iri tam praeclearis studiorum et laboris compendiis. Nunquam poterit parari thesaurus, qui efficiat, vt internosci non possint ciues Romani a pere-

gri-

grinis ciuitatem sola toga mentientibus, viri eruditi a Lexicorum et notarum compilatoribus: quemadmodum in his literariae historiae opibus his, qui sapiunt, non est difficile discernere Ephemeridopolyhistoropansophos ab iis, qui libros ipsos diligenter tractant. Nam illam alteram curam, ne in posterum habeant viri docti, quo margines scriptorum veterum a se edendorum impleant, si constipentur porro in Lexica observationes, quas illi olim sibi vindicabant margines; illum igitur metum ipse iam leuauit BURMANNVS, atque in Phaedro, quem antea laudabamus ostendit, quibus rebus ornari ista prouincia possit.

Nos itaque, vt finiamus praefationem, indicemus paucis, qua ratione Lexicon Latinum fieri putemus posse, si non omnibus numeris absolutum, tale quidem certe, in quo non ita multa desiderari, et si qua desint, expleri facilius possint. Tres iubemus thesauros, vel si mauis, tres vnus thesauri quasi cellas constitui. Prima commentarios habeat Latinae linguae, primitiuorum, vel, quo minus fatigentur quaequentes generatim vocum omnium, quantum eius fieri potest, ordine elementari dispositos. Hic vocum omnium Latinarum origines, formae, significationes diuersae, quo ordine ortae altera ab altera videntur, earumque rerum omnium exempla quam copiosissime accuratissimeque proponantur, non singularum modo vocum, sed vel maxime etiam coniunctarum ratione habita, vt quibus adiectiuis, aduerbiis, casibus, modis, iungantur singulae, et quo intellectu, peti inde quam minimo labore possit. Haec pars eadem notarum, quas Romani vocant, abbreviaturas barbari, et antiquitatum plerarumque explicationem continere potest.

Altera

Alterā pars nominibus propriis, quorumcunque in scriptoribus bonis mentio fit, familiarum praesertim Romanarum, virorum illustrium, Geographiae, Mythologiae cet. destinator.

In tertiam coniici velim amplissimam farraginem nominum non eorum modo, quae praecedentibus partibus explicata sunt, quorum haec indicem praebere potest, sed semibarbarorum etiam, barbarorumque adeo, explicatorum breuissime, et sine exemplis propositorum (haec enim qui requiret is ad Fresnianum opus ablegandus fuerit) vt nomenclatoris tantum vicem sustineat eorum, quae in libris vulgatoribus et sermonibus hominum occurrunt, res nouas etiam Latina oratione explicantium. Ad hanc tertiam partem etiam stirpium animaliumque et similibus rerum appellationes referantur, quibus in prima parte locus esse non potuit.

Quartam si quis adiiciat, in qua Germanica verba et formulae Latinis reddantur, indicio vbique facto, idoneisne auctoribus Latina nitantur, an debeantur modo ingenio Lexicographi: corpus efficietur quadripertitum, quod vel ipsum non multum absit a perfectione, qualem capit rerum et hominum conditio, vel certe perduci ad eam paulatim possit. Hoc dum fiat (fiet autem quiddam certe huius, si viuere nos volet, et consiliis nostris locum dari, diuina prouidentia) istis Catonibus contenti simus, et gratulemur iuuentuti, quae pauca impensa ab infano illo scribendorum suo cuiusque studio commentariorum labore liberata melius collocare tempus, et faciliore via ad eruditionis aliquem et sapientiae gradum potest peruenire. Verum etiam illud a diuina benignitate petamus,

ne

ne pessum ire patiatur literas cum maxime videntur florere. Quod ne fiat interdum metuere soleo, in magna adeo paucitate illorum, qui nosse bona sua, iisque vti volunt, et magna eorum turba, qui in mollietate atque ignaviae praesidia conuertunt certissima instrumenta doctrinae. Sed absint querelae a fronte operis, quam ridere decet et allicere homines, non torua seueritate deterrere. Lips. in schola Thomana a. d. xx Mart. cIo lccc xxxiii.

V.

IN T. LIVIVM
LIPSIÆ cIo lccc xxxv EDITVM
P R A E F A T I O.

Σύνοψις.

LECTIO diuiditur in statariam et cursoriam 1. Stataria duplex 2. Prior interpretum antiquorum 3. recentiorum 4. et professorum humanitatis 5. Altera in scholis humilioribus 6. Comparatur cum Absyri caede 7. Impedit memoriam 8. 9. Relinquit stupidos 10. Molesta est erectioribus 11. 12. 13. Quod probatur exemplo 14. 15. Ne lingua quidem ita discitur 16. Vt nulla ars quae usu constat 17. Non tamen contemnenda 18. Sed plane initio adhibenda 19. Deinde vero etiam cursoria 20. Ambiguitas verbi remouetur 21. 22. Nostra describitur 23. 24. Necessaria est 25. Iucunda est 26. Ob id ipsum utilis 27. Nec difficilis 28. 29. Via ad criticen 30. Quis criticus 31. 32. Accessus ad Liuium 33. Haec editio commoda lectioni cursoriae olim fuit 34. Aliqua parte nunc melior 35. Commendatur 36.

VOLVM. II.

T

Cum

Cum praefandi ista prouincia eo nobis tempore esset imposita, quo, collectis iam sarcinis, et inclusa arcis libraria supellectili, in procinctu essemus migrationis Gottingam suscipiendae caussa: nec postea in hac ipsa vrbe propter multas alias occupationes, vel nostras copiolas statim redigere in ordinem suum possemus, vel alienis thesauris frui, quibus vel publicis vel priuatis hanc urbem mox ita instructam videbimus, vt nulli facile Academiae concessura sit: visum est, seposita interim de Liuianis quibusdam locis atque rebus disputatione, de eo argumento pauca differere, quod et expediri aequè bene sine librorum praesidio posset, nec a Liuii emtoribus abhorreret. De celeri ergo quam plures iam dixerè *curso-riam*, bonorum ex antiquitate librorum lectione commentabimur, vt cum altera eam comparemus tardiore et curatiore, quam *statariam* interim vocare liceat, et quid praesertim in priore illa boni insit, paucis demonstramus.

2. Scilicet duplex ista legendi antiquos libros ratio fere obtinet: neutra plane contemnenda, sed altera, quod nobis quidem videtur, circumscribenda angustioribus paullo terminis, altera magis, quam vulgo fieri a iuuentute solet, frequentanda. Quae tardius ingreditur lectio, ea nec ipsa vnam habet rationem, sed in duplici minimum est, pro diuerso scholarum gradu, differentia.

3. Primum enim quo tempore deficere eruditio ex ipsis hausta fontibus coepit, et rariores esse, qui omne scriptorum antiquorum genus ipsi peruolutarent; superessent tamen, qui vnum aliquem cognoscere atque intelligere vellent; exortum est genus interpretum,
qui

qui vndecunque conducerent ex omni memoria atque monumentis omnibus, quidquid ad explicandum illum pertineret: vt scilicet qui reliquo doctrinae apparatu carerent, et subiicere sibi non possent ea, quibus opus est ad percipiendam illius sententiam, aliorum labore ingenioque subleuati nihil eorum ignorare cogerentur. In hoc genere Eufathius forte principatum obtinet, quanto recentior scholiastes, tanto caeteris fere plenior et praestantior: qui cum esset Episcopus, illam varie interpretandi sanctos libros rationem ad poëtam principem transtulit. Quae enim ad Ciceronem Asconius Pedianus, quae Macrobius ad eundem commentati sunt, illa ex alio sunt genere multum castigatiora, et ad rerum potius, vel ab antiquitate, vel a sublimitate abstrusiorum declarationem, quam ad verborum origines, vsum, familias explicandas comparata. Breuiores etiam Donatus, Seruius, caeteri.

4. Sub felicem illam literarum instaurationem fuerunt, qui praelectionibus amplis, et ad doctrinae non vulgaris, vt tum erant tempora, ostentationem comparatis libros veteres explicarent. Mancinelli, Pomponii, Beroaldi, Calderini, Ascensii, praelectiones magno studio audiebantur, et bibliothecas adhuc rumpunt volumina. Eminent hic Nic. Perotti, Sipontini episcopi, diligentia, qui, vt librum vnum Martialis illustraret, totos Latinae linguae atque eruditionis thesauros profudit, et *cornu copiae* dedit, vnde omnia fere peti possunt, quae ex lexicis nunc promuntur, quorum illud cornu copiae riuulos auxit non mediocriter. Huic qui comparari mole quidem operis posset, de his loquor, qui classicum, quos vocamus, librum explicam.

plicarunt, postea non exstitit, donec Salmasius portentosum nobis opus Plinianarum in Solinum exercitationum daret. Sed hic neque eruditionis, neque digressionum modum seruauit. In paullo moderatio- re, sed amplo tamen et copioso, commentandi et explicandi bonos libros genere, principatum fert, si quid iudicare possum, Io. Lud. de la Cerda, cuius in Virgilium commentariis quid absolutius fieri possit, non video.

5. Hunc igitur morem secuti humaniorum literarum professores publicas in bonos libros recitationes ita fere instituunt, vt quantum possunt maximum doctrinae apparatus ad eam rem conferant, neque quidquam praetermittant indictum, quod vlllo modo vel per ambages eo trahi posse videatur. Si qui ab opibus suo studio collectis destituantur, at ii commentarios aliorum, Lexica, et id genus praesidia adhibent, perficiuntque dictatis suis, vt magnos thesauros sibi impertitos iuuentus arbitretur: neque carbones esse dixerim equidem; sed opes nonnunquam putauerim aliunde minore cum temporis iactura comparandas. Hoc vnum genus *statariae* quam dicere ausi sumus, lectionis est.

6. Alterum adiungimus, in scholis humilioribus vsitatum. Hic vnus idemque auctoris locus solet bis aut ter adeo praelegi et a discipulis in binos aut ternos ordines pro profectus ratione diuisis explicari. Succedit deinde non vna repetitionis, imitationisque et applicationis ratio, qua in succum, ita aiunt, et sanguinem vertuntur verba ac sententiae scriptoris. Quae omnia faciunt, vt mediocris admodum locus vna hora pertractetur: anni vero impendantur libro, vt hoc vtar, vni epistolarum Ciceronis aut officiorum inter-
pre-

pretando; fabula autem vna Terentii, aut liber vnus Caesaris, in tot distrahatur minutas particulas, vt vel optima memoria vix sufficiat ad comprehendendam animo rerum ipsarum continuatam seriem.

7. Et qui fieri possit? Informemus age apud animum nostrum Abſyrti illam a sorore sua concisi fabulam: fingamusque illam non tota fratris membra diffipasse, non proposuisse in alto scopulo *Pallentesque manus sanguineumque caput*; sed articulatim concidisse fratrem, vt hic quidem dimidiatum oculum abiceret, cuius altera pars alio in loco requirenda esset, tum auriculam dextram longe inde poneret, ac nasum tertiatum, supercilii partem, digitum auricularem, quin vnguem, et praeputium adeo, ita dispergeret, vt interuallo satis longo a se disiecta essent omnia: potuitne, oro vos, suspicari pater, hunc esse filium suum? non magis profecto, quam opticarum rerum imperitus distractam eius, quam ἀναμύεφωσι vocant, ope imaginem ac deformatam colligere?

8. Sed an non simillima est ratio, qua tractantur vulgo, in bonis etiam scholis et illustribus, boni libri? Hodie legitur pensum minutissimum: singulae voces explicantur, distrahuntur a se inuicem magnis interuallis periodi: octauo aut si omnes DI adiuuent, quarto tertio die reditur ad eundem librum, et alia illius particula simili arte in suas sibi minutas minutias secatur. Potestne fieri, vt aliquis adolescens etiam ab ingenio et memoria non destitutus, particulas explicationibus praesertim suis onustas atque tumidas, ita praesentes animo seruet, ita inter se cogitatione deuinciat, vt corpus inde, non formosum dicam, sed vnum quaecunque demum effingat, vt quid

legerit meminisse possit, vt vel admonitus recordari historiae?

9. Nihil dico, quod praesentissimis exemplis et periculis confirmare vnusquisque possit. Sume, qui dubitas, in tali schola formatum quemcunque, laudabilis etiam industriae adolescentem, sed qui non nisi in schola legerit audierit Cornelium, Terentiumque; iube eum narrare, quid Themistocles egerit? quis vir Atticus fuerit? quod argumentum sit Andriae? aestuabit, haerebit, inique, si DIs placet, secum agi putabit.

10. Quin aut vehementer fallor, aut ex hoc fonte repetendus est *stupor* ille, qui in prouerbum fere abiit *paedagogicus*, cum videas homines, qui bonam aetatis partem in contubernio quasi hominum omnis aevi sapientissimorum versati, nihil tamen ex illo praeter verba retulere, quos tamen par erat similes illorum fieri, h. e. cogitare vt illos, argumentari, loqui. Sed nunc de iuniorum aetate atque studiis nobis sermo est, quibus prodesse istam disputationem optamus.

11. Tanto minus fieri potest, vt in ea quam diximus, tarditate aliquis veram formam et pulchritudinem hauriat libri alicuius, atque animo comprehendat, quia, quo quis ingeniosior est, eo fert molestius *se mouere quidem*, quod ait ille, *sed non promouere*: cum praesertim praeter ambages reliquas, eundem locum bis, ter, aut quater adeo audire cogatur.

12. Ex eo ipso autem, quod rei aut negotii de quo tractatur notitia, per illam tanquam dissectionem et dissipationem partium intercipitur; illud magnum incommodum consequitur, vt languescat, vel extinguatur legendi voluptas, quae ea praesertim re continetur

netur
quod
ma
mini
nant
tium
cund
mag
nunq
et eu

ad
com
sche
ob
rent
me
crita

reg
ed
pro
tan
der
nu
nu
spat
aud
fide
tro
qu

netur in aliis libris, quod ad euentum festinamus, quod totum quale sit cognoscere cupimus:

13. Cum ea vel sola illecebra sufficiat vt Telemachos, Robinsonios, Gulliueros, deuorent homines minime alioquin acres, et nisi perlectos non deponant: tum Homerum, Virgilium, Plautum, Terentium, Ouidium, Suetonium, Curtium, non minus iucundos scriptores, negligit quin horret iuuentus, quia magnam eorum partem deinceps et vno quasi spiritu nunquam legit, vnde de toto corpore iudicare posset, et euentus exspectatione folicitari.

14. Non molestum, spero, erit lectoribus, certe ad hanc nostram disputationem apprime facit, me commemorare, quid tum alias aliquoties, tum in schola Thomana Lipsiensi (cui faueat Deus) nuper obseruauerim. Explicabantur eodem tempore Terentii fabulae, et Phoenissae Euripidis. Vtrumque a me petierant iuuenes quidam. Vtrumque pari alacritate aggrediebantur, adeo vt Phoenissarum initia *τραγῶδων* vnus itemque alter inciperet, et totas se ediscere velle minarentur. Iam in Terentio licebat progredi sic fatis celeriter, et verborum curam non tam ad Grammaticas rationes adstringere, quam ostendere, vt personis essent accommodata, et quantus morum artifex esset Terentius: qua in re ita versati sumus, vt fabulas omnes intra paucissimorum mensium spatium absolueremus. Hic hiantes videres meos auditores, tacentes, intentis oculis, auribus, animis adfidentes; subridentes etiam, et voluptatem animi, fronte, oculis, ore, prodentes. Scilicet id agebam, quantum eius fieri posset, vt in rem praesentem eos

deducere, ut ipsi in scena sibi versari media viderentur.

15. At Phoenissarum alia erat ratio. Maior numerus in verbis nimis haerebat; hic de significationibus originibusque verborum, de aoristis, de contractionibus, de ellipsis, de dialectis saepe nimis disputandum erat, saepe nimis, ad amaram, heu! Grammaticam prouocandum. Quid multa? hiantes videbam quosdam, sed oscitatione; tacentes obseruabam, sed propter somnum; subridentes, sed alia omnia, τραγῳδίῳν autem ὄχετο, λῆροι. Et iidem homines erant, cupidi sane maior pars discendi, qui vrgerent me, et rogarent, ut plures horas Phoenissis impenderem, quas scilicet optarent totas cognoscere, qui Graece discendum esse bona fide mihi crederent. Scilicet non poterant totam Tragoediae oeconomiam, fabulaeque rationem, per difficultia sibi verba nimis distractam, praesentem animis habere.

16. Et sane, redeundum enim est, vnde digressi sumus, fieri vix potest, ut intelligere discat antiquos libros, qui in stataria (molliamus age vsurpando verbum, quo aptius nullum reperimus) illa, laboriosa, anxioque lectione diu nimis contineatur. Paucorum verborum ita certa atque definita vis est, ut omnibus in locis idem significent, sed ex vicinia et tota orationis rerumque adeo serie aestimanda sunt; cum eadem verba, pro personarum atque rerum de quibus agitur discrimine, longe aliud significant. Hoc ut ubique intelligas, ut statim, non quid significare possit, sed quid significet vnumquodque verbum, assequare; istuc vero nisi multo vsu, id est multa multorum librorum lectione percipi nequit.

17. Prae-

17. Praeceptiones hic parum valent, vt in nulla scilicet re, quae opere et actu constat. Neque sane magis intelligere bonos libros, et loqui vel scribere Latine, aut quacunque denique lingua, discet aliquis praeceptis inculcandis, et verbis formulisque varie operoseque, summa licet arte, dissoluendis, componendis, imitandis: quam ciuiliū rerum peritus, et reipublicae tractandae aptus erit rubricis Mazarinianis addiscendis, vel Machiaueli ad Liuium dissertationibus duabus aut tribus, vel omnibus adeo, enucleandis, et in succum, vt iterum vtamur illa bonorum virorum formula, et sanguinem conuertendis.

18. Quid igitur? contemnimusne receptam summis auctoritatibus a summi iudicii hominibus in scholas omnes rationem? Errorisne et ineptiarum postulabimus antiquam illam et venerabilem vocem, *non multa, sed multum!* abiicimusne libros omnes Sturmii, Schori, Scioppii, Morhofii, magistrorumque aliorum, qui operosam illam et tarde grauiterque procedentem nobis legendi rationem commendarunt, inculcaruntque? Non ego is sum, qui hoc audeam; non damno morem istum, quin dum haec scribo Horatianam de arte poetica epistolam, quam possum accurate copioseque illustrare satago.

19. Opus est iis, qui ad solidam cuiuscunque linguae cognitionem adspirant, omnibus, vt sub ipsa discendi initia mediocrem libellum aliquem, aut eius certe partem non contemnendam, resoluant accuratissime, et ad Grammatices, Rhetoricesque praecepta omnes singulasque particulas, quanta potest esse industria et cura exigant: hoc enim qui neglexerint, nunquam illi secure vel loqui discant vel scribere, vacil-

labunt semper, et vel impingent, vel impingere metuent. Apprime utile est vnumquemque in progressu studii in vno alteroque boni auctoris libro intelligere, quanto sit opus apparatus doctrinae, vt omnia plane intelligantur, vt omnium personarum, rerum, formularum, verborum, accurata possit reddi ratio. Est autem facilius longe et commodius, alio praecunte et commonstrante hoc discere, quam ipsum diu nimis sudare. Quantum viua docentis vox hic valeat, iam praetereo.

20. Verum enim vero, post iacta fundamenta, post paratam mediocrem rerum Grammaticarum et Rhetoricarum notitiam, post specimen vnum alterumque, de quo modo dictum est, sumendi etiam sunt libri, non in quibus enucleandis menses et annos impendas, sed quos cursim perlegas, et quam potest celerrime. Statim hic error aliquis remouendus est, ne quis festinationem necessariam, aut negligentiam potius quam lectionem a nobis commendari putet.

21. Cursoriam lectionem hic non commendamus eam, quam interdum necessitas imperat locum aliquem aut verbum adeo requirentibus, qui in id solum intenti reliqua omnia praeterrunt, oculisque potius vtuntur ad legendum, quam animo: neque eam, qua librum nouum in manus sumunt vel occupati, vel quem totum perlegere tanti non ducunt: et post praefationem, ea quae summaria vocantur, breuiaria, lemmata, indicesque inspiciunt, locum vnum alterumque speciminis tantum causa considerant, atque ex his omnibus speciem quandam libri informant animo, et iudicium apud se ipsi ferunt. Hoc lectionis

nis

nis genere, (quod et ipsum alioquin vtilitate maxima non caret, recte vsurpatum) multi abutuntur hodie et profectum impediunt: vtinam non essent, qui Claudiana iudicia exercerent, librorum parua tantum parte inspecta, saepe nulla.

22. De hoc igitur percurrendorum librorum genere sermo nobis non est, neque de somniculosorum quorundam hominum consuetudine, qui libros semper illi quidem in manibus habent, mane surgunt vt legant, cubitum autem tarde eunt, ne cito nimis a libris discessisse videantur, interim, cum in eo omnia sibi falso esse persuaferint, vel temere aliis crediderint, quam plurimos libros, vt legant: perfunctorie id agunt (vt illi barbare religiosi, qui ex opere quod vocant *operato* et gratiam sibi et beatitatem contingere posse putant) et strenue oculis, interdum etiam lingua et labiis, vtuntur: ita tamen, vt si rationem illos reddere iubeas quid legerint, tanquam in alieno et inimico sibi loco deprehensa animalia laborent, et frustra expedire se conentur.

23. Quam nos cursoriam lectionem dicimus, ea talis est. Sumitur in manus liber boni auctoris, non ante ille dimittendus, quam perlectus integer sit. Legitur autem ita, vt diligenter quidem attendatur ad vocum tum simplicium significatus, tum coniunctarum, vt non negligatur, si quid eleganter, si quid proprie, si quid concinne, si quid splendide dictum videatur; vt ipsae figurae quoque orationis demittantur ad animum, et familiares tractatione et cogitatione reddantur. Sed obiter tamen aguntur reliqua omnia, et si quid sit in verbis obscurum, certe insolitum, si quid ex antiquitate altius repetendum, non
infi-

infistitur, neque cohibetur et quasi sufflaminatur legendi impetus, verum nota tantum quadam insignitur locus difficilis, reuocandus suo tempore, et si tanti sit diligentius considerandus. Saepe ne opus quidem illud est, cum ea quae sequuntur sua sponte lucem inferant his quae tenebrismersa paullo ante videbantur.

24. Nimirum ad hoc vnum maximum intenditur in hac lectione animus, tota in hoc cogitatio defigitur, vt intelligamus, teneamusque deinde, quid sibi efficiendum docendumque proposuerit auctor libri, quibus ad hanc rem argumentis vsus sit, et quam feliciter; quomodo ea, quae obiici sententiae suae vidit, reiecerit; quibus eam rebus aliunde adsumtis h. e. exemplis, similitudinibus, testimoniis, exornauerit, illustraueritque. Haec in libro, vbi docetur aliquid, et argumentis demonstratur. In historia autem vel vera vel conficta studiose obseruatur, quis, quid, quo tempore, quo consilio praesertim, egerit, quibus adiumentis et quasi instrumentis sit vsus, quae impedimenta et quomodo remouerit, quid effecerit denique, quemque facti sui fructum tulerit? quomodo superiora his quae sequuntur cohaereant, et haec ex illis quasi orta sint? videaturne ea narrare scriptor, quae sic fieri potuerint, et aliorum etiam fide nitantur; an dicat, quae conciliari, vel inter se, vel cum aliis rebus, de quibus certo nobis constat, non possint? In poetis praeter haec modo dicta, artis etiam vestigia, et picturas rerum, ingeniorum, morumque et perturbationum descriptiones, persequitur.

25. Haec sane vna lectio est ad vitam utilis, quae animum consilio auget, et rebus priuatim et publice

publice gerendis facit aptiorem: haec sola facit, vt et ipsi tum dicere discamus non incommode tum scribere, et e nobis proferre aliquid, quod placere atque aetatem ferre possit. Huc igitur, huc animum applicet, quicumque vltra prima elementa atque tirocinia processit; huc deducant iuuentutem qui possunt, in hoc eam studio crebris interpellationibus, interrogationibus, obiectionibus, disputationibus, adiuuent; tantum se profecisse vnusquisque sciat, quanto sibi laetius feliciusque procedere hoc lectionis genus animaduertit.

26. Quidni vero procedat? quae indiuisum habeat in his, qui mediocrem verborum copiam, et Grammaticarum praeceptionum vsum attulerint, comitem, dulcedinem quandam, et sinceram maxime voluptatem: quae solet in aureae illius et primae aetatis libris non diminui, vt in plerisque aliis fieri videmus, sed semper augeri, cum plura subinde praecleara et perfecta in iis deprehendamus, ad quae pervidenda oculatiorem aliquem fieri necesse est, quo saepius in iis diligentiusque versatur. De Terentianis fabulis iam dictum est, quod nupero demum experimento nobis cognitum sit: Idem in se experietur aliisque, qui periculum facere voluerit. Sume Roscianam Tullii Milonianamue, sume bellum Sallustii Catilinarium, et vno tenore, eo quo dixi modo legere institue. Si non hebes eris, et ab sacris nostris alienus, festinabis ad exitum, et finem iam adesse cum indignatiuncula quadam miraberis. Semper novus eris integerque, fessus nunquam aut languidus.

27. Illa ipsa voluptas studium augebit atque attentionem. quo magis vero attenderis, tanto facilius intel-

intelliges. quo magis intelliges, tanto plus bonarum rerum, appositorumque rebus verborum, id est pulchritudinis, deprehendes. neque enim quid venustum sit vel in pictura, vel in scripto intelligo, si ab expressione illa atque accuratissima imaginum, coloribus illic et lineis, hic verbis constantium, convenientia cum suis exemplis discedamus. Ita, felici quodam caussarum reciprocantium circulo, attentio voluptatem pariet, augebit attentionem voluptas, utraque res intelligentiorem faciet eum, qui legit, et rebus stilo, ore, consilio, opera gerendis aptiorem. Nisi putatis, fieri posse, ut aliquis cum ingentibus animabus, et praestantissimis ex omni memoria ingeniis, familiariter diuque versatus, in eorum quasi animum moresque transeat; et idem tamen hebes, ignarus, atque humo adfixus maneat.

28. At difficile est eo aliquem peruenire, ut hoc modo legere antiquos scriptores possit. At nisi ita legas, plane praestat nunquam eos attigisse. At difficile non est, si fundamentis, quo modo dictum est, rite iactis, initium a facilioribus fiat, si transmittantur interim, quae non intelligas, dum vel occasio sit interrogandi peritiorem; vel quod saepissime fieri experti sumus, continuata lectio, sponte sua subiiciat rationem expediendae difficultatis, quae insuperabilis paullo ante videbatur.

29. Sane in hoc nostro studio res se habet, ut in rebus, quae vi et armis geruntur. prima victoria Alexandri magni instrumentum fuit alterius, haec autem nouae. Sed superbum forte videatur hac nos similitudine uti: ad minora, ut videntur, nos demittamus. Fermenti vulgaris, inflammationis in corpore viuo, atque

atque ignis adeo vniuersum, ea est ratio, vt a paruis initiis geometrica quadam ratione ac proportione progrediantur, et quasi viro legente viros, vna quaeuis particula vicinas sibi moueat, subigat, excitet, quarum vnaquaeque vim quam modo sustinuit, in multas mox sui generis exerceat. Sic aliquot locorum accurata plenaque, quantum eius fieri potest, cognitio, multorum iuuat aliorum intelligentiam, quorum vnusquisque suam sibi vtilitatem habet, ad plurium sensus aperiendos et expediendas, si quae adsunt, difficultates.

30. Inter haec crescit notitia cum magnis illis viris, et producta aliquantum continuataque consuetudine, ius quasi ciuitatis Romanae paratur, eorumque, quae disci possunt ex antiquitate, vel notitia, vel requirendi certe idoneis locis facultas; tanta denique cum Tullio, Liuiio, reliquisque, familiaritas, vt quemadmodum amicos, et familiares non intelligimus modo loquentes, sed vultu, habitu corporis, incessu, vocis denique sono etiam non visos agnoscimus, et ab aliis distinguimus; ita et intelligere quidam possint non tantum, quid sibi verba antiquorum velint, sed etiam iudicare, sitne ille liber, illa formula, vox illa, eius viri, cuius nomen praefert, vel inter cuius verba legitur? a qua iudicandi facultate Critici appellantur.

31. Et est sane optabile, si quidem sunt (quod ita se habere, hic interim sumimus, alio forte loco probandum) libri antiqui doctrinae omnis verissima instrumenta; existere subinde viros, qui ingenii magni et subtilis vim, iudiciiue acrimoniam in hoc impendant, vt, quantum humanis opibus prouideri potest, apex nullus pereat de sinceris bonae antiquitatis
monu-

monumentis, eaque quam emendatissima, et, si possit, qualia exierunt e cerebro manibusque auctorum suorum, legantur; vt nihil eorum non probe intellectum et vndequaue illustratum transmittatur.

32. Quod cum praestare feliciter non possit, (vtinam ne tentaretur quidem) nisi ab iis, qui in magno praesentique ingenio, et prope diuino (*ἀρχινοειδὴν* Graecorum et *εὐνοχίαν* dicere ita volo) eam quam dixi familiaritatem cum antiquis, et ciuitatis quoddam ius consecuti sint; ac praeterea nullius non earum artium, quibus doctrinae tum continebatur orbis, peritiam quandam et vsum habeant: apparet profecto, quam iniuste et quanto cum literarum incommodo, vel nomen Critici, vel quod peius est ipsum munus inuadant, qui ab aliqua harum rerum vel omnibus etiam sunt imparati: deinde quam inique totum hoc, Criticum esse vel videri, contemnatur, traducaturque a quibusdam, quorum ne capere quidem angustus animus potest, quantum illud sit, et quam paucorum hominum, quam idem tamen vtile literis munus, quo cenferi Criticum modo indicatum est.

33. Ad hoc qui adspirant, vel qui certe non ignorare Criticorum labores volunt, aut amore quodam ingenuo rerum pulchrarum tenentur, earum etiam, quibus plane frui quacunque de causa illis non licet; hi optime sibi consulent, si habere studeant LIVIVM (ad hunc enim nostra se conuertit disputatio, vt et suo exemplo praeclaro illam finiamus, et praefandi, quas imponi nobis passi sumus partes recte perferamus) LIVIVM igitur habere studeant, qualis ex I. F. Gronouii, digni, si quis vnquam, magno et perquam honorifico Critici nomine, officina semel

ite-

iterum, tertiumque prodiit, aut qualis a Cl. Drackenborchio cum maxime adornatur.

34. Qui vero cursim (non negligenter aut oscitanter, sed vt *sapere* inde *et fari* discant) legere Romanum historicum voluerint, quod velle sane omnes debent, qui quidem censerent in literata illa ciuitate volunt; hi praeclarum sibi hic paratum munus inueniunt, tanto maiori excipiendum plausu, quod illo non excluduntur, quorum res familiaris angustior emendis libris paullo carioribus non sufficit. Habetis nimirum, hic, Lectores, LIVIUM, qualem dederat IO. CLERICVS, magnus, quod nemo negat, commoditatis atque venustatis in re libraria artifex; quam bonus Criticus, quam doctus interpres, hic nihil attinet dicere. Hoc opus, quod est forma haec editum, commode circumfertur, et sine oculorum noxa tamen vel interdium, vel ad lucernam legitur; quod est in segmenta diuisum minora, in coetu vna legendum laudatur, euoluitur, tractatur sine molestia; quod annos urbis conditae et ante aeram vulgarem elapsos, nomina item regum consulumque in summo margine, in latere autem indicium quoddam et breuiarium rerum ipsarum habet adscriptum, clarissimo legentem lumine perfundit, et nusquam patitur aberrare, et iuuat, vt facillime inueniat quod quaerit, quod oblitus est repetat; quod retentae sunt omnes viri doctissimi annotatiunculae, non eo factum est, quo omnes a nobis probentur, sed ne quid deesse huic editioni queri possint, qui omnia ab illo viro profecta, quem suo merito amant studiosi, magni aestimant.

35. Denique cum variae ferrentur querelae eorum, qui male nonnunquam discessionem a Gronouiana editione fecisse Clericum arguerent, illis occurrendum rati, diligenter adnotandam eam varietatem curauimus, ex editione anni 1679: qua in re, cum praefertim nullum cuiquam incommodum crearet, et parum occuparet spatii, peccare in eam partem, quae tutior visa est, maluimus, et varietatem illam iis quoque locis curauimus signandam, ubi ipse Clericus in suis notis eam indicauerat. Factum illud deprehendet lector Tom. I. L. 1 c. 16, 29. L. 2 c. 34. L. 3 c. 54, 63. L. 5 c. 42. L. 8 c. 8, etc. Tom. II. L. 22 c. 2. L. 24 c. 32. L. 25 c. 29. L. 26 c. 21. L. 28 c. 21, 43. L. 29 c. 18. Tom. III. L. 31 c. 34, 49. L. 32 c. 4. L. 33 c. 23, locisque aliis, neque enim necesse est, ea tertium hic repetere. Caeterum cum ratio habita esset, ut et Livii libros qui supersunt solos habere possint, quorum id refert; et supplementorum copia fieri etiam his, si qui forte hac editione se carere posse putant: visum est tempore etiam utrumque opus separare, et interim lectoribus offerre Liuium, qualis quantusque ad nos peruenit, quem Feinshemiana supplementa primo quoque tempore subsequuntur.

36. Nos publicae rei causa vota facimus, ut vel hac opportunitate inuitati iuuenes, adiutique a suis doctoribus et incitati, hoc agant, ut vnum historiae Romanae patrem, eundemque eloquentiae et prudentiae magistrum minime poenitendum, familiarem sibi reddant, eoque conciliante ciuitatem Romanam impetrent, quo facto progressiones illis in reliquo studiorum cuiusque generis cursu longe feliciores,

res, haud vano augurio, pollicemur, spondemusque hanc illis ciuitatem per alia scripta circumferentibus animum, non minus, quam Quiritibus olim suum nomen, remotas oras peragrantibus, profuturum. Scrib. Gottingae Kal. Nou. c10 1000 xxxiiii.

VI.

A D

IO. FRIDER. REINHARDI
ANIMADVERSIONES HISTORICO-
POLITICAS
IN I. LIPSII LIBROS POLITICORVM

PRAEFATIO
DE FONTIBVS DOCTRINAE
CIVILIS.

Cum primum de hoc, quod praescripti, argumento, commentari quaedam in mentem veniret, atque multo magis, cum ipsa indicis verba ponerem, in mentem venit vereri, ne multi essent, qui hoc nomine viso, et hoc cognito argumento, statim abiiciendum putarent, quidquid istuc est scriptiois, atque irriderent Bibliopolam, qui cum lenocinium quoddam et commendationem libro suo quaereret, ad me potissimum ierit, a quo forte de aliis quibusdam libris non ineptum iudicium, caeterum nihil, quod ad hanc rem magno opere pertineat, expectari possit.

U 2

Tan-

Tanto mihi ille molestior erat scrupulus, quod susceptum hoc praefandi officium districtus aliis quibusdam rebus ad illud tempus distuleram, quo rationibus viri honestissimi, cui promiseram, aliquantum officeretur, si nunc demum negarem, vel retractarem potius promissa, quo subitum ac forte difficile illi esset alium harum partium quasi actorem inuenire.

Cur tu igitur, sic ipse me calumniabar, susceptum improvide onus male ferre, aut impingere clientellas mauis, quam in ipso ingressu viae deponere? dum roganti Bibliopolae vis obsequi, dum fidem temere datam liberare; negandi verecundia, impudentiam scribendi suscipere paratus es? Durum fateor, et quod, si mature in mentem venisset, forte ut excusarem prouinciam, effecturum erat. Nam, quod inter haec succurrebat, posse de alio argumento praefationem scribi, mox ipse damnabam, cum insulararet mihi suum Martialis Epigramma:

*Non de vi, neque caede, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis.
Vicini queror has abesse furto:
Hoc iudex sibi postulat probari.
Tu Cannas Mithridaticumque bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Sullas, Mariosque, Muciosque,
Magna voce sonas manuque tota
Iam dic, Postume, de tribus capellis.*

Itaque obfirmandus erat animus; et scribendum erat, et de ciuili doctrina aliquid scribendum. Neque vero,

ro, re diligentius considerata, impudens facinus videbatur de civili philosophia dicere, de qua nihil scripsissem equidem ante hunc diem; sed de qua non negligenter tamen saepe cogitasset, neque legissem nihil, et magnos saepe viros disputantes audissem, eorumque actionibus non semel iterumque, sed per multos annos spectator interior, et in ipsa velut postscenia admissus, interfuissem.

Et quid opus longa excusatione vel deprecatione invidiae? Si stultam, si imperitam sententiam dixerimus, parum nobis apud idoneos arbitros proderit, si vel in Iouis alicuius fuisse consilio, et ex Minois prodire antro dicamur, quin contra tanto plus de ingenii opinione detrahatur: sin non importuna videbuntur nostra cogitata, nihil apud eosdem (nam caeteros plane non moramur) decedet, a quocunque mortali profecta fuerint; forte profuerit etiam ad gloriolam, ab eo dicta esse, a quo eius rei disputatio accuratior non valde exspectabatur. Videamus igitur *de fontibus civilis doctrinae*, et paulo rem repetamus altius.

Hic non negamus, sed vltro et cum praedicatione quadam fatemur, magnis ingeniis atque illustri doctrina eos homines fuisse, qui sparsam olim et quasi temere fusam omnis generis eruditionem in ea, quae hodie Systemata et Compendia vocantur, redegerunt: quod facere non potuissent, nisi comprehensa animo haberent, quae et maiorum disciplina, et longus vsus atque experientia ad eum diem docuerant. Quo in genere diuinus fuit Aristoteles: quod assequi non possunt, qui vulgo hodie, id est post bis mille annos de viro iudicant: qui neque, qualis fuerit ipso prodeunte rerum facies, neque, quam pauca, in hac quidem

dem formandarum artium arte, tot saecula adiecerint, quia nec ipsum nec alios antiquos serio vnquam inspexere, intelligunt. Neque vero difficile fuerit aeque ridiculas nugas, si quis eo genere delectetur, excogitare, et falsis partim, partim scurrilibus dictis iuventuti, quae natura risum et ludum de alieno corio amat, deridendos propinare eos quoque ipsos, qui tantum deriso Stagirita plausum a totis cuneis tulere.

Si vero probatur merito, qui immensum librorum aceruum sine more modoque iacentium, cumulatorum, disperforum, pluteis titulisque distinguit ac distribuit; qui vim magnam herbarum, feminum, radicum, pigmentorum, lapidum, temere congestorum in sua loculamenta atque nidos apte generatimque disponit, vt illa Bibliotheca fiat bene ordinata, hoc instructum et habile requirentibus aliquid pharmacopolium: si tota corporis humani, et cuiuscunque adeo animalis, natura atque status in ordinata quadam magni quasi instrumenti compositione atque compage inest, sine qua neque singula membra fungi officio, neque totius animalis incolumitas constare potest: quidni egregia laude et grata posteritatis memoria dignum putabimus, qui sapientium ante se virorum obseruata ingenii, et quae suus ipsum vsus, sua cogitatio edocuerat, non modo velut dispersos ante palantesque milites sub signa vocauit, ad numeros retulit, suum cuique locum adsignauit, vt exercitus inde vnus existeret; sed in vnum quasi corpus animale coëgit, in membra sua maiora minora distributum, quae singulis suis partibus augeri deinde, et nutricio quasi succo accedente amplificari, possent. Magna profecto laus,
quam

quam imminuere non debet, quod hodie facile est, non modo ex magno numero Systematum et compendiorum nouum quoddam, auctius minutius, melius deterius confarcinare; sed nec illud nimis difficile, nouas artes condere, hoc est sparsas de re quacunque obseruationes, praeceptiones, argumentationes, apte inter se coagmentare, et sub nomen vnum atque in vnum corpus redigere. Cum enim semel patefacta via est, et praemonstrata rei cuiuscunque ratio, iam non magni laboris est, aut ingenii supra communem mensuram multum eminentis, eam viam, eam rationem, eadem quasi vestigia in aliis quoque, vel iisdem adeo rebus persequi; nedum, quod facere quosdam videmus, bene composita disiicere, certe aliter non melius disponere, pluribus verbis dicta ab aliis paucioribus iam comprehendere; aut, quae illaudata ars est, nominum quorundam vi ac potestate immutata nouas deinde veritates iactare; et propter leuem aliquam in melius, demus enim hoc quoque, mutationem, instauratorem se, quin primum auctorem artis ac sapientiae ferre. Nimirum nihil tam bene inuentum, aut tanta cum vtilitate prolatum est, quo non male quidam abutantur.

Frequentius multo maiorique suo cum damno hic peccatur ab iis, qui cum compendium eiusmodi cuiuscunque artis vel disciplinae memoria comprehenderunt, quid dico? cum praelegi, et vtcunque explicari inter oscitationes, nugas, ferias, quas sibi fecere, audierunt, tum illius se artis compotes factos, tum vel magiströs atque doctores illius se euasisse putant. Quod si tanti constaret sapientia, nae ego hodie cathedra mea relicta ad quorumeunque doctorum sub-

fellia transeam, et post vnum alterumque annum Polyhistora me et alterum in omni genere disciplinae Hippiam, profitear. Sed maioris nimirum venit eruditio.

Supereft aliud genus male illis doctrinarum compendiis abutentium, qui tanto negligentius audiunt viuos doctores (quin narrati mihi sunt, qui alienae manus, vel typographicarum adeo operarum fiducia, plane non audirent) quod paratum sibi negligentiae illius praesidium remediumque in scriptis auditionum, quas *collegia* vocant, commentariis arbitrantur: miseri profecto homines, et digni, quibus vsu veniat, quod refertur de aliquot ex eo genere studiosis, eos cum e nobili ad Albim Academia discederent, atque in eo fluuio nauigarent, infortunio autem nescio quo euerfa rate, commentarii illi cum reliquis sarcinis in aqua perirent, consilium ex arena ripae, in quam eiecti fuerant cepisse, redeundum in urbem, recitationes de nouo audiendas, scribendos de integro commentarios.

Qui suo pretio compendia aestimant, illi loculamenta commoda et bene ordinata putant, in quae deinde referantur, vnde tempestiue depromantur, quae ad eam artem pertinent, omnia. Ars autem ipsa, ipsa recte agendi ex eius praescripto facilitas, aliud longe est, non ita angustis circumscriptum terminis, non ita facili paucorum mensium opera comparandum. Clamant boni doctores, (circulatoriae vanitatis nugiendulos, summa omnia hiatu magno polliceri solitos, non doctoribus sed agyrtis et pilariis atque ventilatoribus adnumeramus) et omni data occasione inculcant, non esse hanc ipsam eruditionem, quam ex suis aliquis recita-

citationibus referre possit, sed viam a se commonstrari, qua perueniri ad eruditionem queat, fauos a se insitui, in quos mella congerere apiculae debeant. Et tamen non desunt, qui tum se Logicos esse putent, si libellum ea de re interpretandi operam dederint perfunctoriam, cum tamen, non dicam ab erroribus sibi cauere non possint, (hoc enim magnum nimis postulatum, et supra Logicam, quia supra hominem, positum fuerit) sed nec ad tritissimum Sophisma respondere ex arte, neque in syllogismos suos resolvere breuem orationem, dispositionemque adeo illius eruere. Sic vidi, qui satis stilo se dedisse operam putarent, si praelectiones in Heineccianum de ea re libellum audissent, ad rauim clamante me, et singulis prope horis inculcante, nihil aliud a me agi iis recitationibus, nisi vti rationem, duce magno viro, ostenderem, qua facultas rei pulcherrimae parari queat.

Vtinam in rebus maioribus non peccaretur similiter: minus multi quibusdam aduocatis causa caderent; minus multi, quos natura forte morbo expediret, perirent a medicina; non ita frequens esset de Theologis, verbo non re talibus, querela; pauciores denique essent in omni artium genere sectarii, brutum plerumque genus et ob id ipsum nugaces, quod vno compendio magni sui magistri contenti, quidquid ibi didicere, magna quaedam mysteria nulli prius audita mortalium, et quae sola doctos et beatos facere possint, arbitrantur, aliter plane existimaturi, si ad alium magistrum, ad libros alios, fortuna ipsos quaedam detulisset.

Haec igitur cum communis sit artium omnium et doctrinarum corruptela, communis fundi literarii

calamitas: iam, quod dicere proposuimus, de ciuili doctrina videamus, qua quis, cognita illius societatis humanae, quam ciuitatem vocamus, natura et rationibus, vel totam vel partem eius tanto commodius administrare possit. Ad hanc si sufficiat, libellum aliquem edidicisse, doctoris dictata excepisse, vel scripisse hypomnemata; quis non fuerit politicus? Ne tam facile falli hic aliquis possit, ne, quod interdum fieri nouimus, ad rempublicam festinent iuuenes ab auditoriis, iniuriamque sibi fieri putent, facultatesque suas parum agnosci querantur, vel iniuste opprimi: proderit ipsis naturam eius rei, ipsosque adeo fontes, vnde oritur ciuilis doctrina, paulo penitius inspicere.

Nimirum, si retro ipsas omnium artium origines requiras, illud primum denique et vltimum occurret, cognitionem omnem ab his rebus ortam, quae in sensus incurrunt: porro in sensus non incurere, nisi ea, quae *indiuidua* vocant, aut *primas substantias* scholae: vt ciuem nemo vidit, regem, foedus, pacem, bellum, quemadmodum nec hominem, nec equum, nec librum, in quantum eae res definitione quadam comprehendi possunt, e qua definitione pronunciata generalia, quibus ad artem opus est, educi deinde queant: sed vidit Scaeuolam aut Alexandrum vidit, aut Numantino foederi interfuit, et sic deinceps. Porro illud constat, quo diligentius separare communes notiones a peculiaribus discas, tanto maiorem reperiri rerum personarumque dissimilitudinem, vt, etsi non admittas illam quorundam philosophorum rationem, quae argumento postulat efficere, non esse duo in rerum natura vndique similia et indiscreta; de eo tamen ambigi non possit, nondum inuentos esse duos,

vt

vt hoc potissimum vtar, homines, qui iisdem per omnia rebus delectentur, moueantur, afficiantur. Quo enim magis, pluribusque partibus compositae res sunt, eo maior oriatur varietas atque dissimilitudo necesse est: quid autem magis partibus toto, quod aiunt, coelo inter se distantibus, pugnantibusque adeo, compositum est, quam homo, ac proinde ea, quae hominibus constat, ciuitas? Hanc qui consilio vel auctoritate regere velit; eius est multas multorum non dissentientes inter se modo, sed mutabiles horis prope singulis, et a leuissimis rerum numero infinitarum momentis suspensas, voluntates ita ad vnum aliquem scopum dirigere, vt dum suam quisque vtilitatem petit, communis salus veluti harmonia quaedam plurimarum diuersissimarumque vocum inde exoriatur.

Versatur porro ciuilis ratio circa maximam hominum multitudinem non suae tantum, sed vicinarum etiam rerum publicarum; quorum vnusquisque suas sibi vires, facultates, consilia, studia, voluntates, habeat: et tamen vix quisquam ita vel parum ingeniosus, vel propter imbecillitatem contemptus est, vt non aliquando, si id solum agat, si legum, si vitae suae ac salutis contemtor sit, res moliri maximas, vias comminisci, quibus circumueniantur alii, prouidentiam summam eludere, conuersionem efficere magnae alicuius reipublicae, inuitis omnibus, possit.

Ac licet subinde in scenam quasi redeant actiones eaedem, in quibus certe similitudinem aliquam deprehendere possis; licet quaedam sint ita frequentes, vt regulam inde formare, et sub formulam quandam eas redigere non nimis sit difficile, tamen ea res saepe cor-
rum-

rumpit regulam, et formulae vsu intercipit, quod minima, vt aiunt, circumstantia negotium variat: cuius rei veritas non aliunde magis constare potest, quam quod post tot leges, post tot earum Systemata et compendia, post exquisitam adeo ingeniosissimorum doctissimorumque hominum ea in re operam; post tot consiliorum, responsoꝝ, forensium disputationum, resolutionum, decisionum, rerum iudicatarum, volumina, vnde aggeres strui maximarum vrbium videntur posse, nondum inita ratio est, qua causae etiam quotidianae et non nimis difficiles, breuiter expediri queant, aut legibus quibusdam vniuersalibus ita comprehendi, vt mediocri etiam ingenio homo ex illis legibus de vnoquoque facto cognoscere possit, et sententiam non iniustam vel ferre ipse vel latam intelligere: quam rem nondum satis expeditam esse, tot tribunalia, tot illustrium Ictorum collegia, satis loquuntur. Et videtur iusti iniustique multo adhuc expeditior ratio, quam eius, quod vtile sit vel inutile reipublicae. Leges enim, ad quas respiciendum est ei, qui de iusto aut iniusto disputat, bonam partem perpetuae sunt atque aeternae; aliae autem ita claris descriptae verbis, vt disceptationi vix locus relinquatur: factorum autem, de quibus in iure agitur, ob id ipsum, quia praeterita sunt ac recentia, facilior inquisitio est, atque ad regulam illam applicatio. Qui enim de eo quaerunt, faciendumne aliquid sit, nec ne? illi ipsum illud de quo disceptant accurate definiunt.

Contra omnia se habent, vbi de eo, quod vtile sit, quod noxium? quaeritur. Primo enim omnium nihil in vniuersum vtile vel inutile est; sed omnia temporibus, personis, locis, iisque, quas circumstantias

tias

tias vulgo vocamus, aestimantur: itaque, quod huic homini, huic parti ciuitatis, huic vniuersae reipublicae, paullo ante vtile fuerat, idem exigua, et vix animaduersa aliis orbis illius, quo res humanae circumaguntur, conuersione noxium est: quo fit, vt minima res, si nos fugerit, effectus plane alius consequatur. Deinde non quid factum sit? testibus, instrumentis, signis, argumentis, quaeritur; sed quid futurum? coniectura indagatur, tanto ea magis fallaci, quo mutabiliores sunt hominum, de quorum actionibus quaeritur, voluntates, quo plures causae non extra potestatem modo nostram, sed coniecturam quoque positae, quibus huc illuc voluntates impelluntur.

Quae cum ita sint, apparet, potuisse quidem ab ingeniosis hominibus et vitae humanae atque ciuilibus arbitris non negligentibus, obseruari quaedam communia rerumpublicarum, eaque ordine quodam et via doctrinae comprehendere; sed pauca de multis, eaque talia, quae cognitionem disputationemque iuuare queant plurimum, vitam quoque interdum regere; sed si solam illam regulam sequere, nec diligentissimam in applicando curam cautionemque adhibeas, in errores tum noxios inducere possint, tum ridiculos interdum non minus, quam fuit illius, si vera lepidi homines narrant, Iurisconsulti, qui, cum furem nocturnum adesse trepida narraret familiaris, eumque terrore illato iuberet exigi, digito et sibilo eam tacere iussit, illud immurmurans, *tenetur in quadruplum!* scientia iuris vsus, vbi manu vel tenere vel abigere furem tempus erat. Non nimis, inquam, difficile est, praecepta assequi, libellorum politicorum, atque
de

de iis acute disputare. Sunt et fuerunt olim Phormiones multi, qui ut ille Annibalem de re bellica, ita ipsi principes eorumque consiliarios de tota republica docere audeant; cuius si pars aliqua ipsis committeretur, aestuarent, et corrumpent omnia. Quin principes vixerunt hac etiam doctrinae parte eruditissimi, ministrique principum doctissimi, quorum tamen maximos errores vel ipsi, vel res adeo publica lueret. Cuius rei tot exstant exempla, ut in contrarium errorem prolapsi non nulli putarent, non modo nihil prodesse doctrinam ad hoc, ut rempublicam aliquis feliciter administret, verum non nihil literas etiam impediendi afferre. Quod Romae usque eo peruulgatum erat, ut studiose Graecam, quae sola tum esset nimirum, eruditionem diffimularet, maiorum secutus exempla Tullius, ne ea res fraudi sibi ad Quirites esset scilicet. Et negari sane non potest, ita se literis abdere quosdam, ita doctrinis immergere, ut vitae et hominum fere obliuiscantur, sententiasque dicant, et sequantur consilia, ut qui Platonis in republica aut in Solis ciuitate versentur, non in faece Romuli.

Satis puto constat, fontes ciuili prudentiae non esse solos eos libros, libellosque, in quibus illa via et ordine quodam proponitur: alioqui nemo non facili labore fiat politicus. Sed excussimne imus manibus hominum libros illos, damnamus ipsum aureum Lipsii, in cuius quasi vestibulo haec disputantur, opusculum? Luculline Ciceroniani obliti sumus, qui cum nullam rei militaris partem attigisset, in ipsa nau legendis libris factus imperator in Asiam descendit, iisque eam institutis ornauit, quibus illa et tum floruit,

ruit, et postea, quam diu vestigiis illius persequendis dedit operam? Nos vèro nimis bonum auctorem putamus Ciceronem, quam vt de Lucullo illi non credamus; neque abiiciendos dicimus libellos, quos negamus sufficere. Nimirum diuino vir ingenio non praeceptorum modo comprehensionem Lucullus legit, sed exempla praefertim; *in rebus*, inquit, *gestis legendis iter et nauigationem consumpsit*: eaque re *indocilem*, hoc est, tarde et cum difficultate et periculis docentem *vsus disciplinam propter incredibilem ingenii magnitudinem non desiderauit*.

Huius ergo viri exemplum non vitiat communem regulam, sed illam potius confirmat. Quam igitur? hanc videlicet, vt praecepta non contemnamus, sed inter fontes doctrinae ciuilibis, omnisque adeo prudentiae, lubentes admittamus: sed iidem adiungamus deinde vsum rerum ipsarum, et frequentissimam in iis exercitationem, atque ita quidem, vt si alterutro carendum sit, malimus praecepta abesse quam vsum. Non ignorant ista homines (neque enim novam veritatem proponere videri volumus) sed quam parum, ad se vbi ventum est, haec credant multi, et quam nimis multum tribuant praeceptionibus, palam est; quoque minus poeniteat ista disputare, non in ea modo, quae ciuitatis aliquam partem regit, prudentia sic peccatur, sed frequentius etiam in illa, quae vitam priuatam: quae scilicet ab illa magnitudine rerum, circa quas versatur, non ipsa arte et agendi viis distat. Quare pergamus.

Quemadmodum ille facilius musici nomen tuebatur, qui vsu ipso, eaque quam *ἄλογον τρεῖθὴν* vocant

cant veteres, seu facultatem irrationabilem, tantum valet, vt cantus suauitate et instrumentis modulate tractandis aures nostras mulceat; licet vel illas Guidonis Aretini voces, vel istum, vnde priuatum hodie incipitur per scalas literatas ascensum ac descensum ignoret: quam si quis totam Aristoxeni et Mathesoni disciplinam, Pythagoricos omnes numeros et hodiernam modorum faciendorum artem perspexerit; sed ipse neque voce neque instrumento canere quidquam possit: sic profecto et sibi et reipublicae consullet melius, ciuilibusque adeo viri honorem feliciter tuebitur, si quis sine illis prudentiae elementis, ipso rerum edoctus vsu sapienter obire rem priuatam ac publicam norit, quam si ad vnguem teneat magistrorum praescripta, sed vbi ea, et quomodo ad vitam transferenda fuerint, haereat. Id quod ita se habere, potiorremque esse vsu praecipit, inde etiam apertissimum est, quod diu fuerunt sicut Oratores ante, quam ars esset rhetorica, ita viri politici et regendae ciuitatis peritissimi ante, quam de doctrina ciuili condenda in mentem cuiquam veniret.

Non eo valet, quod iam dicere coepimus, vt contemnamus artem; sed vt caute atque sapienter illa utamur. Habet hoc ars commoditatis, vt tanquam loculamenta et nidos earum rerum nobis praestet, ad quas respicere, et in quibus versari, atque diligenter exerceri studiosum ciuilibus prudentiae conueniat. Ea loculamenta, eos nidos, si quis fideliter perceptos habeat, ille multum ea re in reliquo se cursu adiuuari omnino sentiet. Vera sunt praecipit, in quantum ab indiuiduis tracta sunt, in quantum referri indiuidua ad illa possunt. Hoc igitur diligentissime agendum,

vt

vt actus hominum, consilia, euentus, comparentur cum praeceptis, quo vel vera ea esse intelligamus, vel multis laborare exceptionibus doceamur, vel comperiamus denique, quam saepe ea, quae similia videbantur, dissimilia sint, quam caute deinde suspensioque vestigio tam incertis viis tamque fallacibus incedendum sit.

Sed hic demum maxima difficultas oritur. *In-*
docilem vocauit merito *vsus disciplinam* Tullius: experimentis demum suis vel publicis adeo periculis sapere in rebus alicuius momenti eiusmodi est, vt merito huc illud referatur proverbium, quo stultorum magistra vocatur experientia. Nimirum consultum est interesse initio alienis actionibus, apud peregrinos (qui minus recti sunt aduersus alienae reipublicae ciues, quos nulla sua vtilitate ad prodicionem vel inuidiam sollicitari suspicentur) apud peregrinos igitur oportet inspicere, quibus consiliis, quibus actionibus, qui euentus respondere soleant, qui homines, quibus rebus maxime vel concilientur rebus nostris, vel alienentur; et tum haec, tum id genus sexcenta alia in illos loculos suos et quasi fauos referre, nihilque inobseruatum dimittere, atque tantum praeceptis fidere, in quantum ea obseruatione nostra confirmentur, ipsaque praecepta inde augere, minuere, cohibere, dilatare, prout res monuerit.

Sed cum nec omnibus Corinthum adire istam concessum sit, cum haec etiam in tanta vitae breuitate, in necessaria multorum festinatione longa nimis et confragosa ob difficultates plures via: excogitata est alia haud paullo commodior, senilis illa disciplina, quae vt res aliae bonae in vetere illa Roma-

norum republica vehementer floruit, qua senum sum-
 mis reipublicae muneribus cum honore et gloria per-
 functorum domus iunioribus patebant, vt totidem
 prudentiae omnis, eius praesertim, qua ciuitates flo-
 rent, scholae et collegia. Hi cum putarent sibi ho-
 norificum, multos circa se habere iuuenes sapientiae
 suae studiosos, atque aemulos virtutis et gloriae, cae-
 terum otium haberent plerumque a re publica; qua
 via ipsi ad summa peruenerant, eadem etiam suos et
 amicorum filios deducebant, et gubernatorum instar
 veterum scopulos demonstrabant iunioribus, quibus
 euitatis in portum otii cum dignitate perduceretur
 nauis reipublicae. Hi non tam praecipere videban-
 tur iunioribus, quam in rem praesentem, mediumque
 rerum actum, illos perducere, vt adeo suam cum il-
 lis experientiam communicarent, spectatoresque et
 arbitros earum rerum facerent, quibus per aetatem
 interesse non poterant. Felicia sane tempora, quibus
 ii docebant, quos nosse optime oporteret, qui in eo ipso
 et voluptatem maxime senibus conuenientem quaere-
 rent, et honorem virorum summa auctoritate praedi-
 torum, eademque maximum se praestare munus rei-
 publicae ex vero putarent.

Postquam rarior huius rei facultas esse coepit
 (nec tamen nullam esse hodie, satis constat) iam Lu-
 cullea illa maxime via relinquitur, per quam alma du-
 cit mater historia, quae suo sibi iure illud vindicat,
 vt principum schola, et omnium ad prudentiae ciui-
 lis laudem adspirantium magistra audiat. Non vulga-
 tiora sunt Liuii verba quam veriora: *Hoc illud est
 praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum,
 omnis te exempli documenta in illustri posita monumen-*

*eo intueri: inde tibi tuaeque reipublicae quod imitere
capias: inde foedum inceptu foedum exitu, quod vites.*
Quod longa aetas, sexcenta pericula, offensiones, in-
commoda, peccata, vix efficiunt, illud non ita viuïdo
quidem motu, et impressis profunde vno impetu ve-
stigiis, sed repetitis tanto saepius minutis quasi icti-
bus, agit in animo historia, vt formam illi conciliet
eam, qua opus est; facultatem dico, propositis parti-
bus negotii cuiusdam inspiciendi caetera.

Fuit mihi familiaritas cum viro nummariae rei
omnis peritissimo, in quo periculum saepe feci, quid illa,
quam *ἀλογοῖν τριβὴν* supra ex Fabio meo vocauï, pos-
sit in hoc etiam genere studiorum. Reuerso illi a ge-
nialibus epulis tarde satis, cum largius paullo abbibis-
set, et somnus Pater illi non iam innueret aut subre-
peret, sed totum fere subigeret; obtuli satis magnum
numerum veterum numismatum detritorum, exeso-
rum, cuiuis alii obscurissimorum, in quibus vix figu-
ra vna de multis, vix decima quaeque litera clare ap-
pareret. Horum ille vnumquodque vix in manus
sumtum, vix semihante oculo inspectum mihi enar-
rare, atque intermorientibus fere a lassitudine et so-
mno verbis totam inscriptionem capituli, totam auer-
sam nummi faciem dictare; quae otiose deinde cum
ipsis nummis, in quibus nunc demum aliquid videre
incipiebam, conferenti apparuit, nihil plane fugisse
virum, qui vix ipse postridie eius diei, somno
refectus recordabatur, numismata sibi quaedam
offensa esse. Talis igitur, parta creberrimis actibus
observationibusque facultas, citra longam commenta-
tionem, ratiocinationem, disputationem, inspecta mo-
do parte quadam rei negotiïue, de tota re negotiïue,
X 2 iudi-

iudicandi, et quod opus est decernendi, si ad ciuilia negotia transferatur, efficere bona ex parte illum, quem quaerimus, ciuilem virum videtur: et profecto, hac quo quis magis valeat, in hac, quo quis minus fallatur, tanto illum esse magis ciuilem virum; hanc porro facultatem nulla re augeri commodius, si ab ipso rerum actu discesseris, (cuius non semper, neque omnibus, et impedita multis rebus potestas est) quam studiose legendis omne genus historiis, illis tamen maxime, quo magis quaeque ad vitae ipsum actum accedit; id est, quo dilucidius narrat non modo quid euenerit, sed a quibus initiis, consiliis, caussis profecta actio, quibus impedita aduersariorum molitionibus, quibus vel casibus adiuta, vel artibus, quorum hominum fideli vel infideli opera, quem exitum habuerit? harum rerum tanto facilius certiorque obseruatio, si aliquamdiu certe ad praecepta referatur, si memoriae caussa, in illos, quos iam aliquoties nominauimus, loculos, nidos, classes, titulos, referantur omnia, e quibus deinde inductione, quam vocant, facta ita ducatur argumentum, vt quod saepius eodem modo factum sit, illud, si caetera omnia sint paria, non aliter etiam in posterum futurum, probabile videatur.

Id ipsum vero facere, cum non sit omnium, sed quibusdam, quin plerisque forte, qui ista legent, vel temporum suorum rationes, vel quaecunq; aliae caussae, consilium hoc quoque nimis longum faciant et impeditum: at superest vna ratio, qua hi quoque subleuari videantur, laborque illorum minui. Superest, vt aliorum studio partis et in medium quaesitis utamur: superest, propter quod ista scribere Bibliopolae
roga-

rogatu in animum induximus, praeclarum opus, viri dum viueret illustris, Io. FRID. REINHARDI *animaduersiones historico-politicae ad IVSTI LIPSII politicorum libros*, commendatum olim ex merito voce C. S. SCHVRFLEISCHII V. C. et iam nostro etiam qualicumque praeconio ornandum. Ille vir enim cum videret aureum Lipsii opusculum ex optimis quibusque optimorum scriptorum, Taciti praeter caeteros, aliorumque historicorum, primorum nempe ciuilis doctrinae magistrorum, sententiis velut tessellis ac musuo opere contextum, commodissimum ad eam rem, de qua hic agimus, esse; quod ille circa primas tanti operis lineas fecerat, vberius sibi persequendum ratus, quidquid legeret, legebat autem libros in quouis genere optimos, diligenter in cellas Lipsianas ac fauos congerebat, verosque sibi colligebat thesauros, tantam monitorum, exemplorumque copiam, quantam non temere, sic ordinate dispositam, alias reperias. Illis porro thesauris non ipse incubuit, sed ad communem vtilitatem patere omnibus iam ab anno saeculi, quod viuimus, secundo eos voluit: quod opus cum quibusdam de caussis, ad Bibliopolas potius quam ad emtores pertinentibus, ab aliquo inde tempore delituisset, quod requirentibus aliquamdiu copia eius non fieret; post, vt fieri solet, qui requirerent, non frequentes essent: felici, vt ominamur, literarum fato accidit, vt ad Bibliopolam, cuius nunc praescriptum nomen est, quidquid in horreis superfuit exemplarium perueniret, cuius iam sedulitas cum exponat laudatissimam mercem, copiamque eius praestet omnibus, non dubitamus gratiam illum a pluribus hoc facto suo initurum.

Est enim profecto hoc opus vere *theatrum* quoddam non *prudentiali* modo, ut titulus prior ferebat, *elegantioris*, civilis praesertim, quam tot historiarum in suos locos distributarum collectione iuvat mirifice, viamque monstrat, qua quis historiam omnis aevi adhibere ad eam facultatem augendam possit; verum etiam politioris alterius doctrinae: tot obiter quasi, sed copiosa tamen manu, et facco non nunquam integro, alterius generis *χρησά*, ut Graeci vocabant, spargit, ut difficile sit homini *φιλολόγω* librum in manus sumtum mox deponere. Ita collecta hic inuenias de omnibus, quos Lipsius laudat scriptoribus antiquis, recentioribus, iudicia; ita aliorum librorum notitiam, et locos communes de pluribus rebus, quas minime hic quaeras, sed in lucro tamen reponas merito, cum praeter prudentiae monita atque exempla tot corollaria auctor praestat, ipso munere non iniucundiora. Quae cum ita sint, non his modo, qui ad prudentiam civilem aspirant, vtilissimum opus putamus: sed iis etiam, qui delectari cupiunt, qui fatigatum curis animum recipere et colligere, polliceri ausim, non minus iucunde eos tempus hic posse collocare, quam in legendis iis, quae vulgo animi causa in manus sumuntur. Mihi certe nec libellorum, quorum tituli in ANA exeunt, neque Ephemeridum eruditarum, neque quidquid est id genus paruorum librorum plus voluptatis mouet, quam hae ipsae animaduersiones, quas hoc ipso tempore, et dum ista scribo, aliquoties aliud agens in manus cum sumfissim, (fide boni viri id confirmo) ita non sentiens iis delinitus sum, ut non sine indignatiuncula quadam, horam mihi vnam alteramque elapsam, necessa-

cessariisque rebus a iucundo honestoque fure subdu-
ctam, animaduerterem. Illud euenturum pluribus,
siquidem mecum sapiant, non dubito: eoque ipso no-
mine tanto maiore cum fiducia librum, quem vtilissi-
mum arbitror iucundissimum expertus sum, erudito
lectori, eruditionis certe cupido, caeteros enim arcet,
commendo.

Scr. in Academia Georgia Augusta, quae ad in-
augurationis sacra ipso xvii huius mensis die
peragenda se comparat, Kalendis Septembribus
cIo lccc xxxvii.

VII.

IO. VORSTIO

DE

LATINITATE SELECTA

PRAEMISSA.

Quum ad hoc inuenta sit omnis oratio, quae vel
ore profertur vel mandatur literis, vt per si-
gna quaedam auribus percipienda, vel hau-
rienda oculis, communicare cum aliis animi nostri co-
gitata possimus: consequens illud est, vt tanto quae-
que oratio sit perfectior, quo facilius pleniusque in-
telligitur. Et sane ita rem se habere, quotidie obser-
uamus. Ex illo ipso enim iudicant pueri etiam et
mulierculae, aliquem Germanice, vt hoc vtar, non
X 4 posse,

posse, si sermonem illius non intelligant. Haec ita manifesta cum sint, ut iam pene verear, ne parum considerate quidam ista scribi dicant, et in fronte libri, quae insigne quiddam et novum habere debeat, disputari, de quibus nemo sanus dubitare possit: qui fieri dicemus, ut circa linguam Latinam aliud usu venire vulgo videatur? Primo enim facile dicendi genus his vulgo tribuitur, qui vitiosissime et absurdissime scribunt: deinde difficilem stilum illis obiici sollemne est, si qui diligentius et exquisitius, normam Latinae orationis, et ornamenta dicendi sequantur. Crebro itaque illud audias, pure et ornate scribit Sempronius, sed obscurus est. Nimirum hoc volunt, quod non audent eloqui clarius, qui intelligi non possit, cum nec debere legi, et absurde, frustra certe, doctum esse, cuius nemo percipere doctrinam possit. Operae pretium esse putamus, errorem, qui ea in re versatur, aperiri atque, si sperare fas sit, euelli penitus. Quod intelliguntur facilius, qui vitiose et absurde scribunt aut loquuntur, illud non est ab ipsis vitiis orationis, in quantum sunt vitia, h. e. quatenus a regula atque analogia recedunt: sed in quantum ea vitia ex asse referunt rationem illius sermonis, qui patrius nobis est, et a prima inde pueritia haustus. Intelligitur ergo Germanus, Gallus, Italus vitiose scribens aut ore proferens Latina, apud suos ciues, non quod corrupte loquitur, sed quod ad linguae ipsi notae rationes omnia accommodat: cum rediuius ille apud Frischlinum Iulius, aut Tullius adeo, in tales homines delatus, iuxta cum ignarissimis quid sibi velit illorum oratio assequatur, quod quidem ita se habere inde intelligitur, quod Germani hominis orationem Latinam, eo quidem sensu

semi-Germanicae adueti, non facile intelligunt, quae ad normam Latinae consuetudinis exacta sunt. Est et illa non praetereunda causa. Formulas quasdam dicendi pulcherrimas, vel quod in libris occurrunt, qui vulgo in scholis non praeleguntur, vel casu nescio quo, neglexerunt fere ii etiam, qui maiorem vulgari facultatem scribendi consecuti sunt. His porro formulis cum vtuntur alii, qui pleniore haustu de Latinis fontibus biberunt, obscuro fiunt imperitis, et iniurissimo premuntur crimine: qui tamen illam quasi mercedem vel compensationem huius quam perpetiuntur iniuriae referunt, vt descriptiones eorum, quas obscuritatis accusant obscuro et luscitiosi homines, tum viuentibus longe lateque probentur, qui iudicare aliquid de his rebus possint; dum in manibus et deliciis, post illorum fata habeantur, quam diu homines erunt, qui Latinam linguam colent, qua vt communi quodam vinculo, non qui vna viuunt modo, cultiores doctrina homines, inter se deuinciantur, sed infinita numero, quae a bis mille fere annis inde floruerunt, ingenia praeclara, posterioribus semper priora innotescant, eorumque tum doctrinam, tum voluptatem adiuent. Caeterum ad superandam illam difficultatem, quae in legendis politiorum hominum huius pariter atque omnium saeculorum scriptis oboriri imperitis solet, nescio an temere breuior ac compendiarior magis via excogitari possit, quam si quis hunc libellum sibi cognoscendum sumat. Est ille veteris artificis et in hoc praesertim obseruandi genere multa cum laude versati, quod caeteri ipsius de Latinitate libelli ostendunt, praeclari sane, et iis maxime probati, qui optime de his studiis iudicare possunt: quem cum
 nostra

nostra etiam voce commendari lectoribus bibliopola, vir honestissimus, voluerit, tanto fecimus lubentius, vt ei obsequeremur, quod illud certissime habemus persuasum, quod plures sint, qui quaecunque nostrum iudicium in re, in qua et ipsi aliquam diu elaborauimus, sequendum putent, tanto plus adiumenti ad eam doctrinam quam ornare pro copiolis nostris studemus, accessurum. Legent enim cum fructu hunc libellum, tum ii omnes, qui ad facultatem Latine ultra vulgus scribendi assurgere ipsi volent, tum ii praesertim leuari se pituita, et nebulas discuti sentient, quibus nunc obscura videntur ea, quae facillime Varro, Cicero, et Quintilianus ab inferis excitati intelligant, melius quidem quam quorundam hominum scriptiones, qui tum demum mirifice sibi videntur perspicui, quin ipsarum doctrinarum protulisse pomœria gratulantur, cum immutata verborum quorundam significatione, aliam quasi linguam, incognitam τοῖς ἀμύητοις, introducunt, quam denique non sine molestia si perceperis, tantundem te sapere quam antea, ridicula quadam indignatione cognoscas, et si quid bonum dixerint etiam, indictum prius, (addatur enim et hoc, ne parum videamur saeculi felicitatem agnoscere) faciunt tamen, vt difficilius id cognoscatur, negligaturque adeo ab hominibus aliquantum occupatis, cum in turba quasi lateat, longo nimis et molesto labore eruendum, et ferre aetatem vix possit, propterea quod non intelligent, neque qui veteris sermonis studiosi erunt, neque alii, cum subinde subnasci nouum genus talium philosophorum soleat, quorum qui posteriores sunt loco pellere priores videntur. Sed frustra forte ista disputantur in fronte libri, quem sibi com-

commendari, iniuriam interpretentur homines magnis philosophiae negotiis occupati et quasi immerfi. Praestat igitur illis eum laudare, qui eundem hominem et philosophum fieri posse, et φιλόλογον esse et φιλόκαλον, putabunt *. Hi enim profecto multum hinc se iuuari sentient, tum ad intelligenda eorum scripta, qui cultum orationis Latinae adhibent, tum ad colorem quemdam antiquae et sanae orationis his, quae ipsi scribent, conciliandum.

Hi illud etiam admoneri se in fronte libelli patientur, excidisse eius auctori quaedam, a disputandi forte in schola consuetudine et e libris recentiorum hausta, illud in primis, quod *post sensuum, dicendi et significandi verba*, vbi accusatio cum infinitiuo soli locus est, praeter veterum consuetudinem vtitur coniunctione QUOD, v. g. *Verum est*, vel *Fateor, quod ita scripserit CICERO ***, et id genus plurima. Nimirum ipse Vorstius nunquam suam orationem imitandam proposuit: et erat ista forte emendaturus, si ipsi in lucem proferre haec contigisset.

Deinde meminerint iuuenes, his enim destinatus est libellus maxime, in eo non contineri, quae ad hoc

* Si quis dubitaret, eum reducere in viam possent IO. AVG. ERNESTI *initia solidioris doctrinae*, aureum opusculum, et ediscendum his, si qui philosophiae veteri et nouae ita operam dare velint, vt ab Latini sermonis puritate et naturali pulchritudine non recedant. Non do amicitiae collegae nuper nunc successoris mei hoc iudicium, quem non laudo, quia amo (quamquam hoc quoque) sed ideo amo, et medullis inclusum gero, quia virtutem viri et doctrinam noui.


** Videri potest de huius particulae vsu disputatio nostra satis longa in thesauro Fabriano edit. 1734 h. v. proposita.

hoc argumentum pertinent omnia: sed obseruationes esse aliquam multas sua sub capita redactas, quibus excitati et admoniti obseruandi diligentiam et ipsi postea adhibeant, et vel ad hunc ipsum libellum, vel ad Lexicon bonum talia adnotent.

De adiunctis opusculis non est, quod addam. Prioris auctor laudatur in praefatione superiori editioni praemissa. De altero nos aliquid dicimus, in adnotatione ipsi eius initio subiecta.

De his, quae nos margini adleuimus, existimet quisque vt voluerit, nisi quod e tumultuaria opella de nobis ne quis pronuntiare velit, deprecamur. Erunt tamen fortasse quaedam illis, quibus hoc, quidquid est, destinatur, non negligenda. Scr. Gottingae a. d.

IX April. c10 I000 XXXVII.



X. ME-



X.

MEMORIAM

DESIDERATISSIMAE CONIVGIS SVAE

SOPHIAE ELISABETHAE

E G E N T E

SCHWARTZENFELSIA

MATRONAE SANCTISSIMAE

A. D. XXX. DEC. A. CIO DCCCXXIII.

AD MELIOREM VITAM TRANSLATAE

POSTERIS IPSIVS ATQVE SVIS

COMMENDATVM IBAT

MARITVS MOESTISSIMVS

PATER BONAE SPEI PLENVS

FRID. GOTTHILF MARSCHALL

DICTVS GREIFF

VINARIENSIS AVLAE MARESCHALLVS, ET

CONSILIORVM PRINCEPS ATQVE

CANCELLARIVS.

IO. MATTH. GESNERVS

LECTVRIS.

Dubitavi, vtrum huic commentario locum in libellis meis adsignarem, eaque ratione firmer eorum opinionem, qui olim eum mihi tribuerunt. Vicit ista ratio, quod spes est, in maiori volumine facilius seruatam iri memoriam feminae, quam

quam aeterna celebratione dignam equidem non minus iudico, quam iudicauit Maritus illius, vir Illustrissimus, cuius hic si non omnia verba, certe sententiae sunt omnes, eaeque sibi etiam ipsius expressae; nisi quod recens luctus, et animus varie tum familiaribus pariter et publicis curis agitatus persuasere viro, ut mihi, pro intima qua me dignabatur familiaritate, permetteret ordinare omnia, quaedam expolire, et totum opusculum manu mea descriptum typographis commendare.

Si quis acutior meum sibi videatur genus dicendi agnoscere, ille cogitet quotidianam consuetudinem nostram, et usum decem (tot ipsi nobis ea tempestate effluerant) annorum, cum ad hoc ipsum singulas minimum quotidie, plerumque etiam plures horas mecum consumeret, ut quae in me esse, nimis propitius forte iudex, putabat vel eruditionis vel sermonis bona, ea in se velut deriuaret; mihi que vicissim suae prudentiae tantum (utinam non frustra) conaretur impertiri, quantum opus haberem ad rem bene gerendam non in publico modo Gymnasio, quod ille seminarium existimabat esse reipublicae, ac propterea omni sua indulgentia fouebat: sed etiam apud aulicos tum de paedagogio ephebos, tum iuuenes, quos ille doctrinae cupiditate suo inflammabat, exemplo, suos praefertim filios, quos ad omnem laudem summo studio formabat. Sed de hoc verissimo Nobilitatis decore plura sunt in carminum nostrorum libellis: et erit fortasse illud, cum dedita opera licebit tantae virtutis expressiorem paulo imaginem posteris tradere. Nunc qualem ipse et quantum suum animum describenda sua Schwartzensia pinxerit, quibus volupe est, cognoscant.

P. M. S.

Iacturam nuper feci ad animi mei sensum longe acerbissimam, et, quod nunquam plane finiendi doloris argumentum est, in hac quidem vita irreparabilem: iacturam, eheu! feci in anima coniugis, dum vita maneret, supra quam dici potest a me, sed non supra quam ipsa merebatur, amatae. Itaque frustra consumseram, quae ab ineunte aetate mihi comparata habebam, humanae sapientiae ad dolorem mitigandum, et erigendum a consternatione animum praesidia: et ne perpetuo in luctu et squalore iacerem, periculum erat, nisi ad meliorem opem, et sublimius consolandi genus, confugissem, hoc est, nisi diuinorum meditatione oraculorum, consauciatum et fractum a moerore animum confirmassem. Et illud quidem eam vim habuit, ut iam moderatius leniusque ferre calamitatem istam mihi videar: desiderium autem ereptae, (heh! recrudescit dolor, coniugis, et virtutum illius) memoriam, nulla res est quae delere ex animo meo possit, in quo quidem monumentum ipsi constitui, imaginem ipsius alte adeo intimis quasi fibris impressam, ut ne ipsi quidem morti quidquam aduersus eam iuris relictum esse videatur. Neque defutura erant fortunae nostrae aut gratiae monumenta alia, vel corporis solerti penicillo adumbrata, excisae ex marmore, aut ex aere spiranti ducta; vel animi eruditorum hominum elaborata ingeniis. Verum ipsa, dum viueret, inter alia, quae mortuae sibi tribui serio volebat, et hoc petiit, ne de se praedicaretur: quae mallet nimirum bona esse dum viueret, quam, postquam mortua esset, dici; mereri laudes, quam con-

sequi-

sequi. Carebit igitur sua voluntate monumentis illis: quae praeterea ita fecit vulgaria ambitio hominum atque leuitas, vt amiffisse vim suam, virtutis nempe supra vulgum extollendae, videantur. Sed intercedere neque debuit sanctissima anima, neque pro sua pietate voluit, vtilitati vestrae, Posterius Vos enim alloquor, cum qui ex me atque ipsa nati iam estis, quosque tanto vehementius a me amari sentio, postquam de medio recessit, quae primas amoris mei partes iure suo ferebat; tum, si etiam vobis, quod vehementer opto, contigerit genus nostrum propagare, nepotes meos, et qui ab his nascentur, reliquos: Vestrae igitur vtilitati, qua nihil habuit ipsa carius, hoc debetur, vt ad vestram memoriam prodatur virtutum, quae in matre vestra eluxerunt, effigies, non illa quidem vsque quaque perfecta, talem enim vel a summa eloquentia frustra expectaueritis, sed qualis hac orationis facultate potest exprimi. Quae cum ita sint, agite, Posterius, et partim recognoscite mecum, partim discite, qualis fuerit, cuius vt sanguine progeniti estis, ita virtutes vos intueri par est, ac ita contemplari, vt quam simili illius, non tam corporis habitu, quam totius conformatione animi, esse cupiatis: siquidem illud optabile quidem est, sed non in manu vestra positum; hoc si serio studeatis, eadem opera consequemini.

Neque vero a me commemorabuntur, quae de laudibus illius dici possunt omnia, sed ea tantum, quorum arbiter ipse ac testis fui, breuiter indicabo. Nihil proinde dicam de matris vestrae SOPHIAE ELISABETHAE genere illustri a SCHWARTZENFELSIIS ac SCHOMBERGIIS ducto, cui TEVTLIBII

PFLVGII, ENDII, EINSIDELII innexi sunt, magnae imagines, et inter Saxones nobilissimae; nihil de infantia, quam praeter aetatis illius ingenium modestam fuisse ac taciturnam, accepi, adeo quidem, vt humilior interdum, quam illam deceret, abiectiorque matri suae videretur, feminae erecti ingenii, et in tantum laudandae, in quantum nobilis matronae virtus intelligi potest: quo magis illam humanitate sua fouendam putauit pater, qui pro sua sapientia probe intelligeret nimirum, quantum boni in dulci illa verecundaque modestia lateret. Idque ipsa postea intellexit mater, quae nihil inueniret rerum mortalium, in quo iucundius senectus sua, quam in huius filiae consuetudine, adquiesceret. Scilicet quae teneris iam annis a senili grauitate non multum abesset, tanto facilius prouectae matris aetati deinde se accommodauit. Neque quanta cura educata sit, docebo: satis enim apparebit, praeceptis optimis atque institutis illius animum, cum recens adhuc et mollis esset, imbutum fuisse, quae tenaciter adeo verae laudi atque honestati inhaeserit, vt ad virtutem non instituta aut assuefacta, sed a natura ipsa formata atque effecta esse videretur. Potius, quod professus sum, illa in medium proferam, de quibus per me ipse cognoui; et apud vos, Posterii, quibus ipsa rebus coniugium meum, vitamque adeo totam, felicem, quam diu illa frui licuit, reddiderit, ostendam, vt non tantum, qua matre orti sitis cognoscatis, sed decorum illius commemoratione ad aemulationem eorum, et dignam eo, quem etiam ipsa vobis conciliauit, generis splendore, vitam excitemini. Sed hoc dum ago, etiam de ipso me pauca esse dicenda, intelligo.

Igi-

Igitur ab eo inde tempore, quo iudicare aliquid poteram, ac meo mihi arbitrato viuere licebat, vitam agere caelibem decreueram. Tot enim vel foris, et quasi per transennam praeteriens, infelicia coniugia, tot, vbi etiam bene agebatur, matrimoniorum observaram incommoda, vt facile eam, quae ex tali coniugio vel petitur vel percipitur, voluptatem infinitis, quae eam comitantur, molestiis hauriri absorberique putarem. Curam autem rei familiaris, quam non subleuari plerumque vxore ducta, sed augeri animadverteram, rei potius publicae tribuendam arbitrabar; qui legem de maritandis hominibus diuinam latius illam quidem patere existimarem Papia Iuliaque, sed, vt nunc sunt tempora, ad homines omnes non pertinere. Caeterum tanto firmitus hoc erat propositum, quod spes nondum decolauerat prolis ex fratre meo suscipiendae, propagandaeque per illum nostrae stirpis. Siquidem, pro fraterno in illum animo, heredem alium non desiderabam, si quid ex eo natum fuisset, vel nominis nostri vel facultatum.

Sed quo magis illa euanescere spes coepit, tanto me vehementius orbitatis metu sentiebam commoveri, atque illo naturali immortalitatis desiderio, quod conditor rerum vniuersitatis inseuit hominibus, cuius ea vis est, vt non ipsi tantum viuere cupiamus quam diutissime, sed, cum e vita discedendum est, relinquere ex nobis natos nobisque similes, qui personam quasi nostram pergant gerere, et, ne memoria etiam nostra cum nomine extingatur, intercedant. Itaque inter vltimas diras et execrationes illud olim fuit, vltimum stirpis suae mori, quo nihil se grauius vel in se deposcere, vel imprecari aliis posse, putabant. Neque vero mi-

rum est, si quos nascendi felicitas supra alios mortales extulit, ii studiosiores etiam quam reliqui huius conseruandae, et aliis impertiendae, deprehendantur: cum iucundum esse debeat viuentibus scire, a se olim defunctis aliquando alios nobilitatis suae fontem quasi deriuaturos, et repetituros originem.

Hac ipsa igitur cupiditate inductus circumspicere coepi reliquae vitae, liberorumque praesertim quaerendorum, fociam. Qua quidem in re a trita et frequenti iuuenum via, ad rem vxoriam appellentium animos, discedendum mihi arbitratus, neque de dote primo loco laboraui, qua imperium vendere multi, et iugum accipere solent, vel ignauiam certe, nequitiam, luxuriam, in domum suam recipere: neque formam spectauit sine virtute, quae inuitat alios, non minus ac dulcium rerum odor vesparum genus allicit; possidentem vero, qui vt solus ea fruatur, non sine causa metuit, excruciat. Succurrebat Maecenatis, cuius, aliis quibusdam in rebus similis esse optabam, molestia, quem pulcherrimae, sed morosae eiusdem Terentiae non semper suae, quotidiana fere diuortia ita torserunt, vt triennem illius, quam inde contraxisse dicit infomniam, reguli cruciatibus intolerabiliorem Seneca pronunciauerit.

Ego vero illuc primum aduerti animum, vti talium liberorum matrem quaererem, qui neque mihi neque meis maioribus pudori essent. Quemadmodum enim non in quolibet agro fructum nasci quemvis videmus, sed soli plerumque naturam, quae inde oriuntur, sequi: ita multum referre, a qua quis matre nascendi originem sortitus sit, et sapientissimorum hominum sententiis, et ipsa ratione cognoueram; et,
quod

quod Gracchi viri fortes fuerunt, et ciuitatis ratione atque eloquentia gubernandae periti, illud Corneliae matri eorum, splendidissimae nobilitatis matronae, tum illius, quae a maioribus petitur, tum eius, qua cognitae virtutis decus continetur, nec iniuria, assignari. Miseram autem, quamquam necessariam forte, Socratis consolationem semper iudicauit, qui, quod liberos sibi pareret, nihil non ab incommoda muliere perferendum sibi statuerit.

Itaque altero loco, quamquam id cum primo necessario coniunctum est, uxorem quaesivi, quae vitam mihi suis moribus faceret beatiorem. Cum enim, quod alta vos mente velim reponere, et etiam atque etiam meminisse, Posterius, ea praesertim causa petantur amicitiae, ut, quae maxima earum laus est, commodior illis vita reddatur et felicior; inter omnia autem amicitiarum genera nullum ista matrimoniorum coniunctione esse queat arctius: non tam sapere dicendi sunt, qui diligenter sibi cauent, quam insanire omnes eos necesse est, qui non, quantum vel humano consilio prouidere licet, vel diuinae opis imploratione consequi fas est, id agunt, ut quam emendatissimis moribus et optimorum studiorum coniugem nanciscantur. Atque ego quidem tanto minus veniae fueram meriturus, si ea in re peccassem, quod mihi, per itinerum, non per Germaniam solum, sed per bonam etiam Europae reliquae partem susceptorum, occasiones, maior etiam quam aliis facultas nata fuerat, mores tum aliorum hominum, tum puellarum etiam, pernosceri, ac feliciter de iis, quae latere vulgo solent, vitiis pariter et virtutibus iudicandi. Porro eorum loco, vel a genere, vel a munere, quod tum gerebam,

rebam, constitutus, (de forma enim aut moribus dicere aliquid non est meum) vt conditionis non tenuissimae potestatem habere me, homines putarent. Nec deerant amicorum consilia, aut voluntates quorundam non obscure significatae, vt vel maxime tum in Herculis mihi biuio constitutus viderer, incertus animi, vtram viam persequer.

Sublata autem omnis est dubitatio, formaeque omnes ex animo meo deletae sunt, postquam paullo propius nosse coepi SOPHIAM ELISABETHAM SCHWARTZENFELSIAM, cuius apud vos, Posterius, memoriam consecratum eo. Erat haec viduae matronae, eo quidem tempore non nimis beatae, si opibus vel principum gratia beatitudo censeatur, filia, quae duas sorores virgines haberet, et fratrem, qui a publico munere ad priuatam tum vitam redierat: vt adeo praesidium potius a generis atque affinibus expectare illa familia videretur, quam luculentam ipsius fortunam polliceri. Sed erant plura in hac virgine, quae, si vel tenuissimae illius fuissent fortunae, animum tamen meum aureis quasi catenis illi deuincerent. Forma primum egregia, et honestissimi oris commendatio, membrorumque omnium, qua oculis patent, respondens sibi et congruens vsque quaque conformatio: bonum illa quidem fragile, et, si virtus non adfit, libidinis fere ac superbiae illecebra pariter atque instrumentum, quod in Helena et aliis ab omnium saeculorum memoria pluribus, apparuit.

Ego vero illam speciem contemplantur, vt animi bene constituti imaginem, qui scirem nimirum, non ita male agi cum rebus hominum, nec ita humanis vitiis, ac dissimulatione praesertim, infectam esse

ipsam

ipsam quoque, quae Dei opus est, naturam, ut non plerumque respondeant iis, quae extra sunt, et incur- runt in oculos, interiora animi; vsque eo quidem, ut tota illa physiognomonum, qui vocantur, ratio, non illa certe in vniuersum vana, non alio quam isto fun- damento nitatur. Neque enim Socrates, quem vultu ipsius considerato, distortum autem admodum fuisse narrant, pessimum mortalem Zopyrus pronunciauerat, vanitatem artis accusauit, sed naturae vitia studio a se correcta, dixit, vnde simile de aliis ex isto genere iu- dicium ferre par est: neque si qui formosi corporis honorem turpissimis animi vitiis infamarunt, id natu- rae prae ceteris malae tribuendum est, sed corruptio- ni potius extrinsecus aduenienti, quae fomitem malo- rum, omnibus communem, tanto magis excitat atque incendit, quanto plus occasionis vel ad superbiam ha- bent formosi, vel ad libidinem. Est profecto forma corporis, ex instituto quidem sapientissimi rerum ar- tificis, indici in automato horologio similis, interiori- bus animi ex asse respondens: si quid diffidet, illud foris aduenire certum est. Ad vestram certe matrem quod pertinet, depicta in fronte ipsius, et ex oculis quasi prospiciens, pudica modestia, in ipso quoque animo radi- ces egerat altissimas, ut vultum formasse sibi, qui se dece- ret, anima castissima, non latebras in honesta facie quaesisse impudica mens, videretur: quod vsque eo verum est, ut verbum ipsi excidere lasciuum, aut san- ctissima virgine indignum ne vnum ego meminerim.

Duplicem Romae consecratam fuisse, et honora- tam sacello, pudicitiam constat, plebeiam vnam alte- ram patriciam. Non plebeia erat, quam in matre ve- stra admirabar, aut rustica, quae stupor potius est, et

confortia fugit omnia, ne in mala incidat, nihil loquitur, ne petulans esse videatur, ne oculos quidem tollere audet, ne iis venari amatores existimetur: sed patria, quae inter hominum coetus, atque in celebritate maxima, decus suum feruat; quam tentare non facile quisquam audet, repulsae certus; et quae, si quid sermonis incidat, vnde periculum nasci queat pudori, sapienter potius alio inflectere orationem, et innocenti quadam simplicitate declinare nouerit, quam vt reprehensionibus, et iracundia quadam sua, excusandi copiam alteri ministret vel defendendi, qua maius etiam sanctimoniae periculum creari, saepe cognitum est. Hac patricia igitur pudicitia effecerat mater vestra, vt, quemadmodum picturis quibusdam accuratissimis, aut signis affabre elaboratis, pepercisse nonnunquam barbaros homines refertur, artis admiratione ductos, et defixos quasi operis elegantia; ita feroces etiam iuuenes et immodesti magis admirati ipsius formam ac decus fuerint, quam vt conspurcare illam vel verbo inhonesto auderent.

Et ista quidem satis aperta erant, maximamque mihi spem faciebant, et prolis bonae, si illam duxissem, et vitae Ipsius opera beatioris. Caetera probabili admodum coniectura tenebam. Cum enim patrem habuisset spectatae virtutis ac fidei, cuius memoriam non tantum herus suus, idem qui meus, comiter admodum et benigne vsurpat, verum totus etiam populus ita colit, vt magnam publicae felicitatis partem illi merito suo imputet; matrem autem non prudentem tantum vltra captum prope sexus sui, verum etiam sapientem; ambos denique cura, quae esse summa poterat, institutioni suorum liberorum inten-

tos:

tos: facile in spem atque opinionem veniebam, ab his natam atque educatam non tantum generoso incotum pectus honesto habere, verum etiam singularem familiae gubernandae, et administrandae rei familiaris peritiam.

Bonis itaque auibus, quin diuinis auspiciis, neque enim sine propitia numinis cura tantum mihi tam diuinum bonum obtigisset, duxi virginem animo meo carissimam exoptatissimamque: eaque limen meum ingressa Pandora mihi fuit, non Hesiodea illa, tantumdem malorum habens quam bonorum, noxium tandem hominibus munus; sed quae vim ac mensurant huius nominis plane impleret, quae munera mihi Dei, quae quidem a muliere expectari aut optari adeo possunt, secum afferret omnia; mali autem et incommodi, nisi quod mortalis erat, et eheu! mortua est, nihil omnino haberet.

Tantum autem bonorum fuit, quibus ipsa me cumulauit, vt certo ordine digerenda videantur, quo facilius et enarrare ego, et vos comprehendere ea queamus. Nimirum vel priuatam mihi vitam feliciorum reddidere, vel subleuarunt publicam, vel forerunt interiorem illam siue spiritualem: vt adeo nulla pars vitae meae beneficio Illius, aut diuino potius, per eam mihi collato, vacaret.

Priuae vitae procurata ipsius ope felicitas cum iniucunditate quadam inerat ac dulcitudine, tum ad vtilitatem et rei familiaris incrementa pertinebat, tum denique honestatem mihi quandam conciliabat atque amplitudinem. Quid potest esse dulcius, quam sui sunt vnicuique liberi? mihi praesertim, qui hanc praecipuam ducendae vxoris causam habueram. Ipsa vero

ad insignem vteri felicitatem, qua octies me parentem fecit, illud adiecerat, vt nunquam iis, quas ea res necessario adiunctas habet, molestiis indignaretur, aut, quod sollemne grauidis esse, vulgo dicitur, morosa, biliosa, iracundaue esset, aut quae sustineret incommoda marito exprobraret.

Scilicet hoc etiam ab aequitate illa animi atque moderatione tractum erat, quae commendabat, quidquid ageret, quique inexhaustus quidam fons iucunditatis in Ipsa fuit. Videmus enim, quidquid fere aut sensibus nostris aut animis voluptatem adfert, et suauitate nos perfundit, temperamento quodam mediocritateque censerit, et quo quid iucundius sit, tanto, si modum egrediatur, reddi molestius; quod non de ciborum tantum conditione experimur quotidie, sed de musicis etiam, de saltatione, de pictura, de balneis, verum esse deprehendimus: idque ad virtutem etiam ipsam, in quantum scilicet placere aliis, et commendare ipsa praeditum, debet, non male videntur transtulisse Peripatetici. Adeo vere dixit, quisquis primus dixit, τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν με τέρπει.

Moderatum igitur erat in matre vestra, quidquid per naturam suam modi atque temperamenti patiens est. Moderatus erat illius sermo, tantum a loquacitate remotus, non minus molesto quam frequenti sexus illius vitio, quantum a rustica taciturnitate: cuius rei ipse etiam sonus vocis indicium habebat, non acutus ille nimium et tinniens, neque idem infra mulierem depressus. Erat illa, prout opus esset aut commodum, multi paucius sermonis, ita tamen, vt semper in hanc partem peccare mallet, quae cautior est; si peccatum dici fas est exquisitam et sapientem linguae

guae custodiam. Nunquam Illi verba decrant, vbi humanitate aliorum animi essent deuinciendi, vbi de diuinis laudibus, vel hominum laude dignorum, agebatur, vbi ad afflictis adhibenda consolatio, vbi liberi nostri ad virtutem cohortandi, vbi animus meus iucunditate sermonum reficiendus a forensi asperitate, vel a curarum molestia erat auocandus: parcissimi autem sermonis erat, aut obmutescerebatur potius, vbi fama aliorum vel suus pudor in periculo erat, vbi adulatoria vanitas expectabatur, vbi detrahendi aliis, aut vera etiam eorum delicta commemorandi societas: si quidem neque illud sese decere arbitrabatur, vt vel veris aliorum criminibus praeter necessitatem enarrandis imitaretur obscenarum auium genus, quae cadauerum, quibus pascendi causa insident, tabe ac foetore delectantur.

Moderata fuit mater vestra circa formae studium, et cultum corporis. Aequis enim interuallis aberat ab immunditie et sordibus, quae bonam etiam formam corrumpunt, et nauseam iis creant, qui vna esse coguntur; et ab infano formam, probabilem quoque, interpolandi studio, comendique et fingendi industria, quae fastum ac libidinem parentes habet, et neruis telisque arcum cupidinis instruit. Nimirum id ipsa solum egit, vt animae mundaе, et a lae omni, quantum humana conditio patitur, purae, domicilium etiam non immundum praestaret, nec sordes in se pateretur esse mihi iniucundas; nihil contra adscisceret, quo fieri posset, vt minus suauis aut pura adeo domi et in cubiculo, quam foris et in celebritate hominum esset.

Moderata fuit circa animi perturbationes, vt non modo ex Senecae alicuius aut Boethii schola prodiisse, sed ipso Dei spiritu ad animi tranquillitatem, et placidam

dam sobriæ mentis constantiam, formata esse videretur. Nunquam, si tristitia offerrentur, quorum satis crebra fors fuit, animo illam deiici, nunquam ad lætas et secundas res efferrî insolentius Illam vidissetis. Scilicet, aduersa feliciter euenire bene vtentibus, noverat, res autem secundas semina sæpe calamitatum continere. Hactenus tamen auctis mihi subinde honoribus gaudebat, quod Ipsa tanto se modestius gerendi, pluribus autem bene faciendi ego, occasionem nancisceremur. Caeterum vt moderata in gaudio ac tristitia, ita iræ ad miraculum potens erat, non premeda modo, et ad vindictæ occasionem differendæ, quod scelus virtutis non nunquam personam induit, sed plane opprimendæ exstinguendæque.

Quod tunc in primis cognitum est, si quando maleuolorum calumniis ipsius appeteretur innocentia. Quanquam enim ita semper vixit, vt vix locus esset maledicentiæ, (quæ rara profecto laus est in sæculo adeo ad insectandum effreni, et ad crimina comminiscenda ingenioso) et ob id ipsum, insueta scilicet male audiendi, grauius latura videbatur intentatam famæ suæ iniuriam: tamen semel iterumque, præter omne meritum suum, pessimorum hominum mendaciis læsa, ita se gessit, vt viris etiam in exemplum proponi mereatur. Non enim contentu solum vindicauit iniurias, aut eas, quas vlscisci difficile esset, quam moderationis vmbram timidi etiam non numquam homines sibi circumponunt, qui tanto vehementius debacchantur in obnoxios; sed tenuissimæ, etiam sortis hominibus, quos pro meritis tractare integrum erat, ita pepercit, vt clementia eos adiungeret sibi potius, aut beneficiis in pudorem daret, quam malo dato compesceret.

Hinc

Hinc alta domi meae pax, clamoribus nullis, nullis interpellata lacrimis, hinc amor in Illam familiae et vicinorum, hinc summa mihi iucunditas, si compararem praesertim quae de turbis muliebribus legeram antea, aut quibus ipse interfueram.

Solet stuporis ac lentitudinis accusari illa moderata animi lenitas. Sed hanc a matre vestra calumniam repellit diligentia rei familiaris obeundae ac solertia, quam ita curabat, vt rationibus diligenter putandis, tum oculis suis et vestigiis, plus mihi vtilitatis adferret, quam si centum manibus opus fecisset; neque tamen sordibus aut miseria dedecus molestiamue mihi conciliaret. Nimirum remittere etiam in loco ac tempore animum solebat a cura rei familiaris, hoc est, moderate vsa est voluptatibus iis, quae per se nihil mali habent aut pudendi, sed, vt sunt homines, plerumque vel eo ipso, quod modum seruare difficile est, multa ferre solent incommoda, quibus ita inamarescunt, vt voluptates non iam dicendae videantur.

Ipsa igitur, quamquam solitudinem, hoc est se ipsam ferre, si quae alia didicerat, suauiter tamen comiterque obibat consortia hominum, sed ita obibat, vt integram se seruaret a corruptelis saeculi, quod non minoris profecto prudentiae erat, quam in cymba fluctuanti stantem non excidere, inter flammam versantem non aduri, cum hominibus agentem graui morbo contactis non simili peste afflari. Seruauit hanc animi moderationem in conuiuiorum etiam ratione. Aliorum epulas nunquam illa quidem sectata est, sed inuitata hilariter et iucunde celebrauit, quas vero ipsa praeberet, eas munditiis, ordine, et humanitate praesertim sua ita condiuit, vt nihil praeter frugalitatis le-

ges

ges admitteretur, nec eo minus lautissime se exceptos hospites dicerent.

Quin, si res ita ferret, nec a breui lusu, nec a saltatione, quae mirifice Illam decebat, plane abhorruit: sed omnem lucri cupiditatem, omnem lasciuiam, et si quae praeterea infamant vtriuque voluptatis genus, ita remouerat, vt in eam opinionem veniam, si boni quidam viri ludentis Illius aut saltantis, vt corporis habitum, ita etiam animum perspicere potuissent, eos non prae fracte fuisse negaturos, inter ea referri posse vtramque rem, quae perinde sint, vti eius animus, qui his vtatur. Et si quis Ipsius lusus, Ipsius saltationes damnare sustinuerit, de illo haud forte abs re verendum est, ne ipse seueritate ac tristitia plus mali, quam per ludum et iocum alii, perpetret.

Moderata fuit, id est iucundissima mihi fuit, dum viueret, mater vestra, quod seruare quidem, quoties arbitrii sui erat, domum maluit, sed itinera etiam haud grauatim mecum suscepit, eorumque molestias non auxit suo comitatu, sed mirum in modum commodis moribus suis leuauit. Moderata fuit circa hortensis rei studium, quam cum sua sponte amaret, vt voluptatum omnium innocentissimam, et simillimam illius, qua culpa sua primi mortales exciderunt, tum magis etiam, vt mihi gratum faceret, curauit: suoque ingenio et prouidentia tum suburbanos hortos, tum Osmanstadienses ita instruxit et exornauit, vt, cum plurimum salis habere iis videantur, qui aliquid iudicare de his rebus possunt, non ita magno tamen sumtu constent, tantoque sincerior inde voluptas ad me peruenerit, quod non, vt malae emtiones, stultitiam mihi aliquam aut meam aut Ipsius exprobrarent

rent

rent. Quae etiam inter alias caussa fuit, vt quantumvis iucundi mihi essent horti, iucundi tamen non viderentur, nisi Illa vna esset, quae videlicet illos ita amoenos concinnaerat, et quae moribus suis, vt solitudo cum Ea Hesperidum mihi horti viderentur, effecerat.

Perennis adeo inexhaustusque suauitatis fons fuit aurea illa mediocritas, quam in rebus omnibus, illis etiam quas commemorare longum est, seruauit, vt vere de Ipsa praedicare possim, voluptati mihi obitum, sermonem, aduentum Illius, quidquid ageret denique, semper fuisse. Vnum erat, in quo moderatam iam non videbatur, amor in me tantus, quantus summus inter coniuges esse potest, isque non blanditiis verborum, aut reliquis amantium gestibus, quamquam neque ad ista stupebat, sed rebus ipsis, per aduersa praesertim quaedam, declaratus: tum in propinquos etiam meos, fratrem in primis vnicum, quem quantopere Ipsa amauerit, lacrimae illius et luctus satis ostenderunt.

Tanto autem solidior fuit voluptas, quam ex matre vestra, Posterius, percipiebam, quod ea nunquam ab vtilitate erat seiuncta. Sirenum enim est, hinc demulcere cantu aures, et oculos facie pascere, hinc parare vngues ad dilaniandum: voluptas vera non est, quae damno emitur. Minime autem damnosa fuit SOPHIA ELISABETHA nuper mea, quae a materna disciplina hoc haberet, vt, cum nulla non sui generis ac sexus virtute conspicua esset, vnice tamen id egisse tota vita videri posset, vt rem viri ac suam bonis artibus seruaret atque auget. Itaque in vestitu ita se gerebat, non vt putaret suum esse, alias, quibus antiquiorem Ipsa locum pro mariti dignitate obti-

obtinebat, vestis etiam et ornamentorum pretio superare, sed exemplum potius his praeiret frugalitatis ac modestiae. Qua in re ne muneribus quidem meis, gemmisque et vnionibus, quibus erat matris beneficio ornatissima, vsa est; effecitque ingenio, non vt homines diuitem vestitum laudarent, sed vt modico sumtu tam decenter et tam ex dignitate ornari Illam potuisse admirarentur.

Quod de lusu modo dixi, Illa vti plane lucri omne studium procul habuit, ita remota etiam ab earum fuit insania, quae rem patriam ac maritorum lusu disperdunt, atque in serua inde mala se suos praecipitant: nunquam igitur iacturam fecit, pro re nostra poenitentiam, quemadmodum ditior a lusu discedere nunquam laborauit. Quasdam enim res plane inter modos acquirendi, quidquid tandem vulgo videatur, referendas esse non putabat: in his dona etiam eorum, qui iustas vel iniustas causas bonas ita reddere ac vincibiles conantur; quae interdum reiecta in speciem vel serio a maritis, in sinum mulierum, vel inuitis maritis, vel id ipsum agentibus, commeant. Talia inquam dona, hoc est, quae vel leuissimam suspicionem haberent, non amicitiae dari, sed meis muneribus, aut gratiae; et quidquid non optimo iure, diuino pariter et humano, accipitur aut habetur, generosa animi propositione ipsa reiecit, ac tam diligenti ab alieno cautione rem nobis nostram seruauit, ac, vt spero, vobis etiam, Posteris. Quippe cum male parta coruorum pennis iure assimilentur, quae non tantum ad culcitrum vsu ipsae seruari non posse dicuntur, sed alias etiam, quibus permiscetur, consumere.

Neque

Neque opus habebat mater vestra, vt per sordes locupletare domum nostram studeret, in tanto vestigali, quod in honestissima parsimonia constituerat. De vestibus iam dixi. Non minor in mensa regnabat frugalitas; siquidem cibos desiderijs condiri, ad valetudinem pariter ac rem familiarem conducibilius arbitrabatur, quam varietate edulium ex alio orbe allatorum irritari gulam, et rem profundi. Nec minus in reliquo cultu, et iis, quae pecunia comparantur, omnibus, diligenter rationem iniuit, quid ferret res nostra, deditque operam, ne vnquam expensae superarent reditus, sed vt ratio semper ita constaret, vt aliquantum etiam superesset. Hinc illa porro consecuta est commoditas, vt non prout pecuniam in manu haberet, ita compararet necessaria, aut quod peius etiam est, in diem cogere emere, sed occasiones bene emendi occuparet, bonamque copiam domi haberet, quod quantum sit, qui aliam rationem sequuntur, magno suo damno aut intelligunt, aut alios certe, minus ad talia caecutientes, docent.

Non vltima illius artium haec fuit, quod peccandi occasiones, rationibus diligenter exigendis, ademit familiae; cum si qui etiam a fraude non abhorrent, pertimescerent Ipsius solertiam, latendique spem omnem abiicerent. Atque his quidem facultatem ademit nos defraudandi, plerisque voluntatem, quos puderet scilicet aut furari, cum satis alimentorum et mercedis, aliaque fidei praemia acciperent, aut clementi adeo herae, sibi que, vbicunque occasio esset, optime consulenti, damnum inferre, vel aliunde ingruens non studio omni prohibere. His igitur aliisque artibus effecit mater vestra, vt ante etiam, quam reditus mei aut muneris aut praediorum aucti essent,

aes tamen quod contraxeram alienum dissolueretur, vt honeste aleretur familia iam auctior, vt praedia vel vetustate collapsa, vel vastata incendio, aedificarentur, vt aliquantum etiam futurae nostrae aut liberorum nostrorum necessitati reponeretur, quod bene interim ipsius praecipue prouidentia collocatum est. Quidni enim illi permetterem rei familiaris curam, quae tanta cum vtilitate mea ab illa suscepta fuerat?

Haereo animi, vtrum ad sumtus potius referam, quibus tolerandis vti pares essemus, Ipsa effecit, an inter reditus ab Ipsa auctos, beneficentiam in egenos plane insignem. Ipsa certe in ea videtur fuisse opinione, non minui liberalitate rem familiarem, sed augeri. Quin Deus non id agentem, sed simpliciter et candide, absque vlllo mercedis respectu, voluntati eius et suo in miseros amori obsecundantem, docuit, non perire, quae dispensentur in miseros, sed maximo in foenore, apud fidissimum pariter opulentissimumque debitorem, collocari.

Commendauit Ipsius liberalitatem, et amabiliorum Deo hominibusque reddidit, quod Ipsa minime eam commendari voluit, eaque caussa saepe per alios dispensauit beneficia, vt ignorarent cui deberent, quibus bene fiebat, nec pudor vel accipientium oneraretur, vel suus. Simile est, quod non solícite nimis curauit exquirere, dignine essent, in quos beneficia conferebat; cum tergiuersationis omnem speciem effugere cuperet, rata, si vel maxime indigno bene a se factum esset, non homini se, sed humanitati illud tribuisse, quae praesertim ipsius Dei se exemplo tueri posset, cuius infinita etiam in pessimos beneficia singulis diebus dispensantur. Fundum suae liberalitatis, rem no-

stram

stram familiarem, augendi insigniter occasio ante hos aliquot annos nata fuerat, cum sua in matrem suam perpetua pietate, atque obseruantia, praecipuum illius testamenti honorem meruit, modo Ipsa vti tam propensa in se voluntate ex omni parte maluisset, quam inusitata aduersus sororem liberalitate ostendere nulla se mala arte tantam testamenti praerogatiuam sibi suisque peperisse.

Videtis, Posteris, quantum remota fuerit mater vestra a pernicioso illorum errore, qui seiungi ab vtilitate posse honestatem existimant. Honori profecto mihi fuit, quidquid Ipsa ageret, tantoque magis ea, quam commemoravi modo, frugalitas, conseruandaeque et augendae rei nostrae studium, quo diligentius Illa cauit, ne, quod frequenter vsu venit, frugalitatis nomen speciemque subiret sordida auaritia, quae splendidis alioquin virtutibus maculam adspergere solet minime eluendam. Honori mihi fuit linguae ipsius regimen, quam sapienti gubernabat imperio. In Leaena sua Athenienses non tam taciturnitatem, et fidam secreti custodiam, consecrassent videtur, quam peruicaciam in furorem versam. Equidem nihil dubito, matrem vestram, eo etiam ipso nomine, quo solo commemorari digna est Leaena illa, longe ei praeferre. Maius enim profecto est dicenda tacendaque probe inter se discernere, bene ac venuste dicere, quae dicere nihil prohibet, prudenter et absque affectatione tacere diuersa, ac tacere inter astutorum hominum blanditias, quauis arte ac diffimulatione elicere aliquid secreti sermonis satagentium: maius, inquam, hoc est, quam si quis in quaestione tormentorum, quae obstinatos reddere solent vltimos etiam mortalium, animum et linguam ad tacendum obfirmet, ac denique ipse eam sibi praemordeat. Hoc enim furoris esse etiam, et

ferinae cuiusdam peruicaciae, apertum est, illud non nisi a magna vi sapientiae proficiscitur.

Agnoscebant eam in matre vestra viri feminaeque principes, rebusque et verbis, quanti illam facerent, saepe declarabant, quorum ipsa beneuolentia ita sapienter vsa est, vt neque parui facere honorem, neque ingerere se illorum familiaritatibus videretur, sed neque imparem se colendae cum maximis etiam hominibus amicitiae demonstraret. Adiuuit Illam hac etiam in re testata vulg., et calumniae quoque telis prope superior, castitas et sanctimonia, quae quantum venerationis et augustae dignitatis, vel apud dissimiles, habere solet, Ipsius etiam exemplo declaratum est. Habet enim hoc, habet, Posterius, vera virtus admirabile diuinitus adiunctum sibi munus, vt eam admirentur et suspiciant etiam sceleratissimi. Itaque illi etiam, quorum alia longe ratio erat, admirari cogebantur sanctitatem illam in matre vestra, et metuentem alterius viri certo foedere castitatem, in tam luculenta praesertim forma, quae non poterat non allicere homines voluptuarios, et in tanta modestia, vt satis appareret, superbiam non esse, quae formam illam instar sepius custodiret. Illud autem per mihi honorificum fuisse videtis, qui, quanta obrui infamia soleant impudicarum mulierum mariti, saepe audieritis.

Quantum vero ad honorem et dignitatem meam hoc fuit, quod Ipsa nunquam, quae vetus contra matres querela est, aduersus seueram, qua contineri filios meos aequum esse duxi, disciplinam verbo vnico intercessit, sed pro sua parte curam meam adiuuit potius, quam impediuit; quantum, quod omnibus in rebus voluntati meae obsecuta est, quin praecurrere saepe illi studuit; quantum, quod publicis negotiis adeo se non ingessit,

vt

vt ne priuatas quidem literas vnquam attigerit, nisi ad hoc ipsum sibi traditas, vti eas legeret: quam insignem Illius modestiam tanto maioris, pro eo ac debebam, feci, quod non incognita mihi erant eorum exempla, quibus curiositas mulierum aut πολυπραγμοσύνη, vel imperandi adeo cupiditas, pudori vel perniciiei etiam fuerat.

Quamquam igitur in nullum vnquam publicum negotium se immiscuit, nihilo tamen minus publicam etiam vitam faciliorem mihi felicioremque Illius opera praestari, intelligebam, tum eo ipso quod nulla se ex parte negotiis inferret atque intruderet, secreti licet capacissima, nec ab ingenio ad res agendas apto destituta; (quod quibus in rebus intellectum fit, commemorare hic nihil attinet) tum quod me curis et laboribus fatigatum suauitate sua recreauit, commotioremque et inquietum ad tranquillitatem non obsequio tantum suo, et commodis moribus, sed sermonibus etiam iucundissimo sale conditis reuocauit. Tantum enim abfuit a quarundam consuetudine, maritos, iratos forte illis, quos ipsae odio dignos putant, magis incendentium, vt potius, quantumuis male de se etiam meritis esset, cui irascerer, suarum semper virtutum, humanitatis, mansuetudinis, clementiae, facilitatis, indulgentiae, auctor mihi esset.

Neque enim pudet me, Posteris, apud vos profiteri, quod in magno aliquando huius vniuersi concilio, honori vtrique nostrum fore spero, me illius coniugio meliorem etiam factum esse, et Christi, quod gerimus, nomine minus indignum. Quis vero vitio hoc mihi vertat, nisi qui Salomonem quidem mulierum opera sapientia sua et religione excidisse fateatur, sed fidem neget Apostolo, qui, sanctum beneficio mulieris
 Z 3 fieri

fieri posse maritum, testatus est. Nunquam profecto me poenitebit, quantum matris vestrae exemplo, et felicissimo quasi contagio, ad pietatem et religionem excitatum me fuisse, sentio. Erat nimirum in Ipsa non primoribus tantum labris innatans, aut vultum modo fingens pietas, sed verae cognitionis fundamentis superstructus, et intimis quasi medullis fixus haerensque, supremi numinis amor, quem non iactabat verbis apud alios, sed rebus potius declarabat iis, quas iam dixi, et vna praeterea, quae nescio an in tali fortuna, inter tot auocamenta ac diuerticula, pro minime omnium fallaci sincerae pietatis argumento haberi debeat.

Nimirum, quae minime alias a consortio hominum abhorreret, et cui deesse non possent voluptates aliae, quas nemo reprehendit, iucundiolem tamen fallendi temporis rationem comminisci non poterat, quam vt sola in cubiculo suo, vel in horti angulo, lectioni librorum sacrorum, aut hymnis canendis, vacaret. Quem amabat scilicet, cum eo libentissime sola erat, et, si cum illo esset, solam se minime putabat. Neque vero morosior ab illa solitudine, aut tetrica magis redibat, quod literarum non tantum humanarum, sed diuinarum praeter caeteras, eam vim esse arbitraretur, vt mores fideliter eas discantium molliant, et ab aspera feritate ad suauitatem et dulcedinem quandam traducant.

Caeterum illud quoque in Ipsius pietate fuit amabile, quod secum habitauit, nec aliter quam exemplo et moribus docere suis cupiit, quamuis non minus forte quam aliae vel scientiae haberet vel eloquentiae. Adeo scilicet modesta fuit, vt nemini se anteponeret, et discere ab omnibus mallet, quam cuiusquam esse magistra, suaeque salutis curam ita cordi haberet, vt docendi

pro-

prouinciam libenter aliis relinqueret. Ex eodem fonte profluxit, quod inter verbi diuini praecones contemnit nullum, sed honorem omnibus habuit, qui scilicet non tam ipsis, quam mittenti illos Domino, debetur. Domestica autem sacra, quae cum familia singulis vespers celebrare soleo, ita obiit, vt Illius attentione animi ac studio omnes excitarentur. Ego certe me ipsum accendi saepe sensi, calore Ipsius animaduerso, tantoque certiore precum ratarum spem concepi, quod Eius pietati ac fidei nihil, quod quidem vtile nobis esset, negatum iri, certo mihi persuaderem.

Quam profundas autem in animo Illius radices egerit illa erga Deum affectio, intellectum praecipue est vltimo vitae tempore. ex quo vti ex cantionum clausulis, de toto qui praecessit tenore, facillime iudicatur. Primo ante vltimum puerperium suum, quod fatale sibi futurum putabat, ita ad mortem se comparauit, non quasi e vita exitura esset, sed iter aliquod longius ingressura. Itaque breviculos rerum, quas mihi relinqueret, confecit, atque in ordinem redegit sua omnia, quod facile Ipsi erat, cum perturbationi inimica et negligentiae semper fuerit: tum vbi, et quo cultu, sepeliri vellet, praescripsit; in quo apparuit, eam quidem corporis sui curam mediocrem habere, quod nimirum, quoad humana fert conditio, sanctum semper Deo templum praestiterat, quodque suo tempore ad aeternam proditurum felicitatem nouerat certissime; sed nec ab ea modestia recedere, quam summis ornamentis suis, vt regiam purpuram superinduerat, et qua mortua quoque inuolui se quasi velle videbatur.

Deinde in illo vltimo fatalique Ipsius morbo accidit, quod vos, Posteris, neque ignorare par est, nec obliuisci. Cum vis intestini caloris ita inualuisset, vt obstructis, per quos iter est sanguini, concitatissime tum ruenti, viis, vitales, quos medicorum filii appellant, spiritus loco quasi pulsi errarent, et animae discedere iam meditantis imperia, vt turbatis per tempestatem in naui ministeriis, non exaudirent: tum vero apparuit, quid summum in vita habuerit

buerit ac primum, quid ab illo secundum. Inter homines neminem ita diu agnouit, nemini monenti vt valetudinis curam haberet, et silentio se contineret in lectulo, plus tribuit, quam mihi, cuius nimirum nutum, toto, quo vna fuimus tempore, diligenter obseruauerat.

Sed alterum magis etiam mirabile visum est his, qui aderant. Quoties venisset ad Eam sacrorum antistes, vt vel diuinis Illam et mysticis epulis instrueret, vel alias de caelesti ad quam pergebat patria cum Ipsa ageret, adeo integris sibi sensibus praeter morbi naturam constare deprehensa est, vt verbum vnum absonum, aut ad rem nihil pertinens, Illi non excideret. Quin lingua illa modesta ac sobria, (quam tum aestus horribilis non secus agitabat, ac rotam horologii, sufflamine excusso nitentia deorsum pondera) ad quietem redigi aliter non potuit, quam si de oraculis diuinis aliquid Ipsi praelegeretur. Si naturale hoc fuit, vnde oriri potuit, nisi quod pietas in Deum, et mariti amor ita profunde infederunt sanctissime animae, vt reliquis excussis omnibus ea remaneret. Si miraculum fuit, putatisne, Deum hoc tributurum, nisi quam sui amantem sciret, fuisse?

Sed eheu! eheu! excessit a nobis, elata est, magna illa vis virtutis, et, pro tanta quam mihi procurauerat felicitate, luctum et moerorem reliquit acerbissimum. Verum reprimō me. Neque enim par est, meam me Ipsius felicitati antehabere, aut sanctissimae animae gaudiis voce humana non enarrandis, lamentatione lugubri videri velle intercedere, aut diuinae, quod summum est, voluntati frustra repugnare. Reliquit ipsa mihi sui memoriam nulla vnquam obliuione delendam; reliquit mihi vos, o Posterī, et vobis exemplum reliquit, in quod si diligenter tanquam in speculum intueri volueritis, illudque fideli imitatione exprimere, tum felices eritis ipsi, tum maximam iis, quibuscum viuetis, vt ipsa, donec fuit, mihi, procurabitis felicitatem.





INDEX RERVM.

A dulator et amicus, quale inter eos discrimen	189
Amicus Studiosorum quis sit 115 seq. quomodo amicus ab adulatore cognosci possit	117
<i>Ammon</i> et <i>Theut</i> , eorum de inuentione litterarum disputatio	172
<i>Anniuersaria</i> <i>Bulowiana</i> celebranda suscipit Academia Goting- genfis	169
<i>Antiquitatum</i> studium valde iucundum est 218. 219. immo vile 219. multum confert ad librorum veterum intelligentiam 220 quo- modo comparanda sit antiquitatis notitia	223 sq.
<i>Arcefilai</i> erga aegrotum pauperem amicum beneficentia	190
<i>Aristophanis</i> Comoediae quot supersint	70
<i>Arma</i> , inter ea silent leges	123
<i>Auctorum</i> <i>Classicorum</i> lectio, quid circa eam sit obseruandum 289. 290 sqq.	
<i>Ayrenus</i> Georg Henr. fit Acad. Goting. Prorektor	143
<i>Beneficia</i> quanto frequentius sunt, tanto habentur neglectius	96
<i>Bibliotheca</i> Gotingensis magnas habet accessiones	169. 182
<i>Bibliotheca</i> Principis <i>Wilhelmi Ernesti</i> , <i>Gudiana</i> Bibliotheca augetur 7 ei praeficitur <i>Gesnerus</i>	26 sq.
<i>Bibliotheca</i> <i>vinia</i> dicitur <i>Schurzfleischius</i>	13
<i>Boni</i> , cur illis male sit, cum sit prouidentia	188
<i>Brunquellus</i> Io. Salom. fit Acad. Goting. Prorektor	88
<i>Crusius</i> Magnus, fit Acad. Goting. Prorektor	109
<i>Decani</i> <i>Onoldini</i> , qualis eorum praerogatiua	248
<i>Doctrina</i> <i>ciuilis</i> qualia eius fundamenta	314 sqq.
<i>Erasmi</i> de <i>Lutheranismo</i> et <i>Litteris</i> iudicium	175
<i>Editiones</i> librorum diuersae quinam eruditi iis opus habeant	21 sq.
<i>Fabri</i> <i>Theaurus</i> <i>Latinae</i> <i>Linguae</i> , quid in noua eius editione prae- stitum sit 266 sqq. virorum aliquot clarissimorum de eo iudi- cium	278

Farcio-

INDEX RERVM.

<i>Pacciolati</i> de Fabriano Thesauro iudicium	278
<i>Falsteri</i> observationes in Fabri Thesaurum	275
<i>Felix</i> , qui bona sua nouit, felix est	119
<i>Feuerhins</i> Iac. Wilh. fit Acad. Gotting. Prorektor	127
<i>Franckius</i> Aug. Herm. cum Helladio de noua praefatione N.T. Halensi praefigenda agit 33. 34. ad litteras eius non respondet	36
<i>Galli</i> vnde eorum experientia militaris	140
<i>Gaudium</i> Stoici sapientis consideratur 129. Socraticum	130 sq.
<i>Gaudium sapientis</i> consideratur	128
<i>Gebauerus</i> Geo. Christ. fit Acad. Gotting. Prorektor	98
<i>Gesnerus</i> Io. Matthias, praeficitur Bibliothecae Wilhelmo - Ernestinae 2 ^o sq. fit Prorektor Acad. Gotting.	137
<i>Gloria</i> , virtus eius et potentia 175. 176. quid sit 177. falsus mul-torum de gloria conceptus 177. Ciceronis definitio 178. 179	
<i>Graeci</i> noua siue vulgari lingua coram populo in Ecclesia vtuntur 41. nouum foedus tamen antiqua lingua Graeca in Ecclesijs praelegunt 43. typographiae defectus non obstat eruditioni Graecorum 46. 47. quo iure contemnant Graeci studia mathematica et philosophiae 47. 48. lingua Graecorum, qui nunc sunt, re-cte Barbaro - Graeca dicitur 65. 66. non omnia originalia noui Foederis verba plane percipiunt.	68
<i>Gundlingius</i> (Nic. Hieron.) eius de Fabri Thesauro iudicium	278
<i>Gymnasium Onoldinum</i> in quo a reliquis abeat	238
<i>Hallerus</i> Albestus, fit Acad. Gotting. Prorektor.	118
<i>Helladius</i> doctos in Europa viros imperitiae linguae Graecae arguit 31. scribit Grammaticam graecam, et Statum praesentis Ecclesiae graecae 31. iudicium de vtroque libro 32. deposcit sibi a Franckio curam scribendi nouam praefationem ad N. Test. Halense 33. 34. immo nouae editionis curam 35. Franckio nihil respondente librum de statu praesente Ecclesiae Graecae edit 37. malae fidei inde conuincitur, praesertim cum magnae auctoritatis hominibus contradicat 38. refellitur superbia Helladii, multisque erroribus eius in medium productis, ostenditur, non cum esse, qui sexcenties melius omnibus Europae eruditis graece sciat 48 - 65. iudicium de Grammatica eius 56. 57. 58. mendacium eius de Aristophanis Comoedijs.	70
<i>Heumannus</i> Christoph. Aug. fit Acad. Gotting. Prorektor	105
<i>Imperare</i> bene non potest, qui parere ante non didicit 90. maxima in imperando est difficultas	94. 104
<i>Imperium</i> an possit aut debeat methodo mathematica administrari 144	
<i>Koehler</i> Georg. Nicol. quando et vbi natus 233. fata iuuentutis eius et ingenium praecox 234. 235. studia Academica 236. honores 236. 237. Rector Onoldini Gymnasia constituitur 237. prudentia eius scholastica 240. alii honorum gradus ipsi collati 246	


in

INDEX RERVM.


in philosophia eclecticum agit	249.	filii eius et vxor	251.
	corpōris constitutio	252.	morbus et mors
	253		
<i>Koelerus</i> Io. Dauid, fit Acad. Gotting. Prorektor		123	
<i>Laurentii</i> (Io.) Onomasticon, de eo iudicium		277	
<i>Lectio</i> Auctorum Classicorum, vid. <i>Auctorum Classic. Lectio.</i>			
<i>Leges</i> silent inter arma		123	
<i>Lexicon</i> Latinae Linguae Triumtinae Societatis, de eo iudicium		279	
<i>Lexicon</i> Reyhero - Iunckerianum, ad illud Praefatio		281	
<i>Lexicon</i> Latinum qua ratione omnibus numeris fere absolutum fieri possit		287	199.
<i>Libri veteres</i> an sint legendi		221	199.
<i>Lingua Graeca</i> vulgaris non differt a veteri, vt rusticorum in Germania ab illa hominum politiorum	39. 40.	diuersitas Dialectorum non impedit, quo minus versio Barbaro - Graeca N. T. ab omnibus intelligatur	45.
		Graecorum, qui hodie sunt, lingua recte Barbaro - Graeca dicitur.	65. 66.
<i>Litterae</i> , de inuentione earum Theut et Ammon disputant		172	
<i>Lutheranismus</i> vbi regnat, an ibi pereant litterae		175	
<i>Mascouius</i> D. Gottfr. fit Acad. Gotting. Prorektor		92	
<i>Methodus mathematica</i> , an imperium quodcumque vel magistratus hac methodo possit aut debeat administrari		144	
<i>Modestia</i> quid sit	148.	modesti descriptio	149.
		vbi vis modestiae imprimis se exferat	152
<i>Milesiae Virgines</i> fere omnes consilium obeundae mortis capiunt	100	medicina huic malo parata.	100
<i>Museum ambulans</i> dicitur Schurzfleischius		13	
<i>Nieupoorti</i> succincta rituum antiquorum lectio commendatur	226	199.	
<i>Noriones</i> verborum qualem vsū habeant		134	
<i>Onoldinum Gymnasium</i> in quo a reliquis abeat	238.	Conuentuum Onoldinorum ratio	247
<i>Oporinus</i> munus Prorektoris in Academia Gotting. deprecatur		127	
<i>Pecuniae</i> sacculum puluino pauperis amici subiicit Arcefilaus		190	
<i>Pharmacopolium</i> optime instructum, muneri datur Academiae Gottin- genfi		169	
<i>Pleonecles</i> quinam dicatur		149	
<i>Princeps sapiens</i> quinam habeatur		261	
<i>Probus.</i> Num hoc cognomine Wilhelmus Ernestus, Dux Saxo-Vinariensis mactandus sit	74.	quid sub hac appellatione intelligatur	75
	76.	199.	dignum est magno Principe cognomen
		82	
<i>Pudicitia</i> Romae duplex consecrabatur		344	
<i>Pudoris</i> memorabilis in Milesiis virginibus effectus	100.	item in Romanis	101
<i>Rectorum Magnific.</i> in Academia Gotting. ab inauguratione eius ad annum vsque	CIC MDCC XXXXIII.	series	88 - 152
		Rein.	


INDEX RERVM.


<i>Reinhardt</i> D. Tob. Iacob fit Acad. Gotting. Prorektor	51. 114
<i>Respublica</i> an possit aut debeat methodo mathematica administrari	144
<i>Richter</i> Geo. Gottlob. fit Acad. Gotting. Prorektor	103
<i>Sapiens</i> solus est liber, reliqui autem ferui	92
<i>Schmaussius</i> Io. Iac. Academ. Gotting. gubernacula suscipit	95
<i>Schurzfleisch</i> Conr. Sam. Bibliothecam Principis Wilhelmi Ernesti Bibliotheca Gudiana auget 7. breuis eius vitae enarratio 9 sq. recensio praecipuorum in Bibliotheca eius manuscriptorum 10 sqq. viua quaedam Bibliotheca et ambulas museum dicitur 13. diuersas librorum editiones sibi comparat	21
<i>Schwartzenselsia</i> Sophia Elisabeth. Memoriae eius celebratio	334 sqq.
<i>Segner</i> Io. Andr. faeces Acad. Gotting. suscipit	147
<i>Seneca</i> cur in Christianorum Diptycha nomen eius receptum sit	127
<i>Sensus communis</i> quid sit 135. ciuilis notio	135 seq.
<i>Spiritus publicus</i> quinam dicatur 136. quinam tribunicius, regius, hostilis, minax	136
<i>Studio</i> si, amicus eorum quis sit	115 sq.
<i>Studio</i> si <i>Gottingens.</i> adhortantur, vt nomina sua apud Rectorem Magnificum profiteantur	88
<i>Strübelius</i> , quid in noua Fabriani Thesauri editione praefiterit	268 269. 270
<i>Theut</i> et <i>Ammon</i> , eorum de inuentione litterarum disputatio	172
<i>Treuerus</i> Gottlieb Sam. fit Acad. Gotting. Prorektor	90. 132
<i>Typographia</i> , defectus eius non obstat eruditioni Graecorum	46. 47
<i>Typographiae</i> inuentoribus quid debeamus	172
<i>Virgines Milesiae.</i> vid. <i>Milesiae Virgines.</i>	
<i>Vorstius</i> Io. quid circa eius Librum de Latinitate selecta notandum	332
WILHELMVS ERNESTVS Dux Saxo-Vinariensis Probi cognomine maclatur	82. 83



m.
i,
ra-
e
A.
n
-
i
e-
n
:
n
-
t







the scale towards document

TZENFELSIAE. 359

is relinqueret. Ex eodem fonte
erbi diuini praecones contempsit
omnibus habuit, qui scilicet non
ti illos Domino, debetur. Do-
nae cum familia singulis vesperis
iit, vt Illius attentione animi ac-
tur. Ego certe me ipsum accen-
sius animaduerso, tantoque cer-
spem concepi, quod Eius pietati
lem vtile nobis efflet, negatum iri,

em in animo Illius radices egerit
intellectum praecipue est vltimo
vti ex cantionum clausulis, de to-
facillime iudicatur. Primo ante
um, quod fatale sibi futurum pu-
comparauit, non quasi e vita exi-
od longius ingressura. Itaque bre-
hi relinqueret, confecit, atque in
nia, quod facile Ipsi erat, cum per-
negligentiae semper fuerit: tum
i vellet, praescripsit; in quo appa-
ris sui curam mediocrem habere,
umana fert conditio, sanctum sem-
titerat, quodque suo tempore ad
elicitatem nouerat certissime; sed
edere, quam summis ornamentis
am superinduerat, et qua mortua
velle videbatur.

o fatalique Ipfius morbo accidit,
ne ignorare par est, nec obliuisci.
is ita inualuisset, vt obstructis, per
conciatissime tum ruenti, viis, vi-
filii appellant, spiritus loco quasi
discedere iam meditantis imperia,
atem in nau ministeriis, non ex-
paruit, quid summum in vita ha-
buerit